155
1304

LIBRAIRIE
Ancienne et moderne
de A. DURAND
7 R. des Grès Paris

1545

DELLA LIBRERIA
DEL CONTE BERTALAZONE
D' ARACHE
SOSTIT. PROC.^E GEN.^E DIS. M.
N.°

Statuta 1/62.

Statuta, Consuetudinesque Inclytæ Civitatis Salutiarum

Visa, reformataque, et in meliorem usum ad publicam utilitatem redacta per Magnificum. D. Michaelem Antonium Vaccam, Joan: Petrum Castiglionum, Felicem Leonum, Bernardinum Canalem, Simonem Falconum, et Capitaneum Christophorum Vaccam, et Nobilem Franciscum Marabotum, electos, et Specialiter deputatos per credentiam, et Consilium dictæ Civitatis auctoritate Regiarum literarum, denumq: per præfatam Regiæ Majestatem amplissimo privilegio approbata, et confirmata. Successiveq: Sententia, et arresto Supremæ Delphinalis Curiæ recepta, et interinata sub die 24. 9bris 1582.

Taurini apud hæredes Nicolai Bevilaquæ
1583.

155
1304

INFRA SEQVVNTVR STATVTA INCLYTAE COMMVNITATIS SALVCIARVM.

COLLATIO PRIMA, *de Potestate & Iustitia.*

De iuramento Potestatis, pagina 1.
De Potestate eligendo, pag. 1.
Quòd aliquis non possit esse rector, siue Potestas, Locumtenens, & Clauarius, nisi per vnũ annũ, 1
De auctoritate Potestatis, 2
De cõsilio cõcedẽdo per Potestatẽ & ordinamentis obseruãdis, 2
De capitulis per Potestatem legendis. 2
De sportulis non capiendis per Potestatem, 2
Quòd Potestas nihil capiat à detentis, 2
De seruitijs non capiendis per Potestatem, 3
Quòd Potestas non participet in accusis, 3
De Potestate, & Clauario, 3
Quòd Potestas, & officiales nõ possint absentare ciuitatem, 3
De locumtenente Potestatis, 3
De iuramento Clauarij, 4
De sindicatu Põtatis, Locũtenẽtis, Clauarij, militis, & familię, 4
De iustitiarijs eligendis & eorum officio, 4
De quatuor hominibus eligendis super discordijs, 4
De discordijs terminandis, 5
De graphario curiæ ordinariæ, 5
De iure reddendo bis in hebdemoda, 6
De modo procedendi in causis ciuilibus, 6
De modo procedendi contra absentes aut defuncti bona, 7
De causis communitatis, 8
De principali prius conueniendo quàm fideiussorem, 8
De fideiussoribus releuandis per principalẽ debitorem, 8
De condemnationibus, & terminis dandis debitori, 8
De sententijs, condemnationibus, & instrumentis obligatorijs exequutioni demandandis, 9
De terminis dandis debitori ad redimendum bona pro exequutione capta, 10
Quòd principalis debitor luere teneaẽ pignora leuata fideiuss. 10
De pignore non denegando exequutori, 11
De pignoribus vendendis, 11
De non incarcerando aliquem de Salucijs, 11
De detinendo extraneos siue forenses debentes homini Saluciarum, & in ciuitate aut finibus repertos, 11
De psonis extraneis repertis in Salucijs cogẽdis ad solutionẽ, 12
De personis contumacibus detinendis, 12
De condemnationibus factis contra formam statutorum, 12
De ferijs, 13
De nundinis, 13
De tutore, & curatore dando minoribus, 13
De pquirẽdis bonis pupillorũ & minorũ p sindicos libertatis, 14
De iuramento siendo per tutorem & curatorem, 14
De vendendis bonis mobilibus pupillorum & minorum, 14
De procuratore cõstituendo ad causas pupillorũ & minorũ, 15
De reddenda ratione per tutores & curatores 15
De tempore petendæ rationis, 15
De alienationibus per minorem non faciendis, 16

SECVNDA COLLATIO, *de consilio Saluciarum.*

DE eligendis electoribus consilij Saluciarum, pag. 16
De numero & electione consiliariorum, 16
De Sindicis communis & libertatis ad voces eligendis, 16
De officialibus ad breuia eligendis, 17
De officio sindicorum libertatis, 17
De atterminatoribus eligendis & mittendis per Potestatem, 18
De salario atterminatorum & ęstimatorum, 18
De atterminatoribus, 18
De officio sindicorum libertatis circa exactionẽ scripturarũ, 19
De stantiatoribus eligendis, 19
De interueniendo in cõsilio, 19
Quòd nullus possit habere duo officia, 20
De non substituendo officiales communitatis, 20
De thesaurario communitatis, 20
Quòd nullus consulat de danda re communi, 20
De propositis non faciendis contra statuta, 21
De capitulatoribus eligendis, 21
De propositis non colorandis, 21
De propositis scribendis per secretarium communitatis, 21
Quòd sedendo nullus possit arrangare, 21
Quòd nullus surgat in cõsilio nec loquatur dũ alij arrãgabũt, 21
De partito dando super qualibet proposita, 22
Quòd petentes aliquid à consilio debeant exire, 22
De ambaxatoribus communis, 22
De non contraueniendo libertatibus, 22
Quòd obligati pro communi debeant indemnes conseruari, 23
De cõseruãdis ijs, qui se exercent pro cõmuni Saluciarũ, 23
De mercede operantium pro communi, 23
De non mingendo sub porticu communi, 23
De non faciendo aliquod præstum, 23
De registro faciendo, 24
De exactoribus & taleis colligendis, 24
De taleis soluendis, 24
Quòd possessiones locatæ seu aliter concessę teneantur soluere taleas, 25
De recusantibus soluere taleas, 26
De forensibus & extraneis, 26
De forensibus in ciuitate habitantibus, 26
De forensibus habitantibus in ciuitate & territorio, 27
De ciuibus receptis alibi habitantibus, 27

TERTIA COLLATIO, *de viis, & aquis.*

DE maßarijs eligendis, 27
De vijs, 28
De vijs expediendis, & terminandis per airalia Saluciarum, 29
De vijs plateæ, & aliorum locorum aperiendis, 29
Quòd personæ stantes in Salucijs teneant vias pulcras coram ipsarum domibus, 29
De fossatis Saluciarum expediendis, 30
De fossatis, 30
De non proijciendo aliquid in viam publicam, 30
De cloacis iuxta viam publicam non construendis, 30
De cloacis claudendis, 31
De barbacanis fossatorum non capiendis, 31
De vijs, montis, & planicies inter maßarios eligend. 31
De claudendis portis Saluciarum, 32
De foueis & crottis in vijs publicis non fiendis, 32
Quòd nemo ducat aquam per vias, 33
Quòd cõfortes bealeriarũ teneãtur reficere bealerias & põtes, 33
De pontibus manutenendis, 33
De planchis & pontibus, 34
De non nassando canapum in fossatis ciuitatis, 34
De atterminando fines Saluciarum, 34
De eligendis duobus circa aquas, 34
De reparando alueo bedalis Saluciarum, 35
De latitudine bealeriæ molendinorum, 35
De bealeria Marchisia, 35
De aqua communi Saluciarum non diuertenda, 35
De aqua diuidenda, 36
De presijs bealeriarum, 36
Quòd potestas curet, vt aqua bedalis abundanter fluat, 36

QVARTA COLLATIO, *de ponderibus.*

DE ponderibus, 37
De tenente pondus Saluciarum, 37
De ponderibus, 38
De ponderibus inquirendis, 38
Quantum debeant esse mensuræ, & pondera Saluciarum, 38
De mensuris tenendis, 39
De mensuris inquirendis, 39
De non mensurando ad mensuram non signatam, 39
De non vendendo pannũ & alias res ad rasum mancum, 40
De non vendendo ad tesiam mancam, 40
De mensurando vinum, 40
De vino vendendo 41

QVINTA COLLATIO, *de caligariis, affaitatoribus, molinariis, & aliis artertis.*

DE iuramento magistrorum artium, 41
De molinarijs, 41. & 42
Quòd molinarij nihil capiant vltra solutionem ordinatã, 42
De molendinis, 43
De ponderando granum, 43

De grano molendo, 43
De grano furtiue capto, 43
De grano deteriorato in molendinis, 43
Quòd granum in molendinis sit periculo molendinariorum, 43
De cozolijs inquirendis, 44
De porcis, gallinis, & anseribus per molinarios non tenendis, 44
De barranderijs, 44
De rastello tenendo, 44
De resecatoribus, 45
De sartoribus, 45
De caligarijs, & affaitatoribus, 45
De affaitatoribus, 46
De corijs non tenendis in bedale Saluciarum, 46
De subtularibus, 46
De textoribus, 46
De textoribus & mensura telarum, 47
De fornarijs, 47
De rama & sarmenta penes fornarios inuenta, 47
De candelis fiendis, 48
De fundentibus sepum, 48
De lateribus & tegulis, 49
De manualibus,

SEXTA COLLATIO, *de delictis*.

De modo procedendi in causis criminalibus, 49
De accusatoribus, 50
De puniendo facientes contra statuta, 50
De homicidijs, 50
De proditoribus, incendiarijs, & bannitis, 50
De adulterijs & stupris, 50
De lenonibus, 50
De incendiarijs, 51
De bannitis, 51
De latronibus nocturnis, 51
De blasphematoribus, 51
De incisoribus vituum & aliarum arborum, 51
De arboribus non fructiferis non incidendis, 52
De percussionibus, 52
De iniurijs verbalibus, 52
De minis, 52
De transeuntibus per mœnia, 52
De furtis & rebus furtiuis, 52
De inquirendis furtis in domibus alienis, 53
De furantibus decimas, 53
De capientibus alienum bladum vel auenam, 53
De fœno, herba, & palea, non capiendis, 54
De rebus alienis inuentis consignandis, 54
De vino non miscendo cum aqua, 54
De crimine falsi, 54
De expellenda muliere inhoneste viuente, 54
De meretricibus expellendis, 54

SEPTIMA COLLATIO, *de campariis, accusis, & bannis campestribus*.

De camparijs, 55
De officio campariorum, & aliorum accusantium, 55
De accusatoribus, 55
De accusatoribus, 55
De camparijs, 55
Quòd camparij non ingrediantur vineas, 56
De camparijs, 56
Quòd camparij & alij accusatores non accusent bestias in pluribus possessionibus, 56
Quòd cluuarius non participet in accusis, 56
Quod accusati de pluribus bestijs soluant tantum pro quibus iurauerint, 57
De non capiendo aliquid in alienis prædijs, 57
De non intrando in aliena prædia, 57
De non faciendo iter per aliena prædia, 57
De bestijs non ducendis per fœnatores in prata, 58
De bestijs damnum dantibus, 58
De pignore auferendo extraneo damnum danti, 58
De porcis, 58
De fidancia, 58
De portantibus falces, 59
De decimatoribus, 59
De ayratoribus, 59
De transeuntibus per aliena prædia, 59
De messonerijs, 59
De messonerijs non tenendis in iauellis, 59
De bubulcis, 60
Quanta intelligatur esse emenda, 60
De defensionibus, 60
De accusis exigendis, 60
De auctoritate consilij circa campestria, 60

OCTAVA, ET VLTIMA COLLATIO, *de diuersis rebus & materiis*.

De priuilegio scholasticorum, 61
De festiuitatibus obseruandis, 61
De non ludendo, 61
De non mutuando filijs familias & famulis, 61
De locatoribus domorum & eorum iuribus, 62
De locatoribus domorum, 62
De non locandis domibus extraneis nisi data notitia Secretario communis, 62
De domo non ædificanda iuxta murum communis, 62
De incendio extinguendo, 63
De auxilio dando ad ædificandum domos combustas, 63
De bonis immobilibus alienandis offerendis proximioribus & vicinis, 63
De pactis, & mercatis obseruandis, 64
Quòd filia dotata non succedat, 64
De non perdenda dote per mulierem, 65
De dote lucranda per maritum, 65
Quomodo mater filijs succedat, 66
Quòd aliquis qui non habitat in Salucijs non possit habere aliqua nemora, 66
De simili iure vtendo contra forenses, 66
De gabellatoribus & collectoribus talearum, 66
De fraudantibus gabelias, 67
De vino non portando in Salucias, 67
De non recedendo à taberna donec sit solutum tabernario, 67
De non stando in taberna, 67
De bubulcis & rozerijs, 68
De seruitoribus, 68
De reuisionibus fiendis, 68
De cridis & proclamatibus, 68
De solutione fienda famulis pro exequutione personali, 69
De clausuris inter consortes fiendis, 69
Quòd aliquis non possit sibi facere æstimari copertum alicuius domus, 69
De foueis & gallarinis, 69
De piscibus, 69
Quòd volentes facere pratum possint habere licentiam per aliquam possessionem, 70
De piscinis, 70
De non adaquando bestias ad fontes, & de non mingendo in eis, 70
De scolando aquam, 71
De grano vendendo, 71
De ementibus panem, 71
De vindemijs, 71
De arboribus nocentibus vicino, 72
De non eundo de nocte, 72
De expellendis extraneis inutilibus, 72
De massarijs murorum, 73
De renunciationibus feudorum, 73
De sententia lata inter procuratores feudatariorum, & sindicos communis Saluciarum, 75
De statutis declarandis, 75
De suspensione capitulorum, 76
De statutis, 66

PRIMA COLLATIO
DE POTESTATE ET IVSTITIA.
De Iuramento Potestatis.

EGO Potestas Salutiarum Iuro ad Sancta Dei Euangelia saluare, & custodire omnia quæ ad honorem & conseruationem status, & personæ Serenissimi D. D. nostri Regis Delphini Marchionis Saluciarum pertinent, Ecclesias, hospitalia, & alias domos religiosas positas in posse, & territorio Salutiarum, cum omnibus earum iuribus, & honoribus personas in eisdem habitantes, viduasque, & orphanos ciuitatis Saluciarum, ac peregrinos transeuntes per territorium dictæ ciuitatis. Et pariter tempore mei regiminis omnes personas seu homines Saluciarum, et ibidem habitãtes, & eis obseruare statuta, bonas cõsuetudines, franchisias antiquas, & nouas illesas meo posse, necnon eorum consilia, & eorum reformationes consilij Saluciarum, & prædictis deficientibus, secundum iura communia, & tenere secreta arrengata in consilio Saluciarum, & nomina personarum arrangantium non referre, & in fine regiminis tenere sindicatum ad formam statuti de quo infra.

De Potestate eligendo, cap. 1.

PRIMÒ statutum est, quòd in consilio hominum Saluciarum ac per ipsum consilium anno singulo, circa principium mensis Decembris nominentur & eligantur tres probi & sufficientes viriex ciuibus originarijs Saluciarum ad officium potestatis iuxta hactenus solitum & consuetum, Quæ electio seu nominatio presentetur Serenissimo D. D. nostro Regi Delphino prefato siue eius Illustrissimo D. Locumtenenti aut Gubernatori existenti in Marchia, Qui vnum ex tribus nominatis in potestatem deputare, & confirmare habeat per vnum annum. & talis vt supra deputatus, tenebitur iurare in consilio in manibus predecessoris in officio iuxta formam superius expressam.

Quòd aliquis non possit esse Rector siue Potestas Locumtenens & Clauarius Salutiarum nisi per vnum annum, cap. 2.

ITEM statutum est, quòd potestas Salutiarum eius Locumtenens & grapharius curiæ criminalium Saluciarum non possint exercere officium Potestatis Locumtenen. aut grapharij nisi per unũ annũ: et ipso lapso non possint eligi aut cõfirmari in dictis officijs nisi lapsis duobus annis cõtinuis post exitũ eorum officij, & electio seu cõfirmatio aliter facta non valeat, sed habeatur pro infecta.

De auctoritate Potestatis, cap. 3.

ITEM statutum est, quòd potestas Saluciarum possit & debeat cognoscere de omnibus causis ciuilibus & criminalibus motis & mouendis in prima instantia: Et quod nullus de Salucijs vel ibi habitans possit per aliam quamuis personam etiam priuilegiatam ratione clericatus, nobilitatis, militiæ, & ex quauis causa, et ex quouis priuilegio extrahi à cognitione & iurisdictione dicti potestatis, tam agendo, quàm defendendo in quauis actione reali aut personali, Nec valeat cessio facta in præiudicium huius statuti, per quam possit declinari forum potestatis: Et quòd cause ciuiles, & criminales non possint in prima instantia alicui delegari aut committi nisi dicto Potestati & eius Locuntenen. & si fuerit aliter factum, irritum sit & inane citra derrogationem tamen auctoritatis electorum super discordijs, Qui per consilium eligentur ad causas differendas, & iustitiariorum communis iuxta formam statutorum de eis inferius loquentium.

De consilio cedendo per potestatem & ordinamentis obseruandis, cap. 4.

ITEM statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur quandocunque requisitus fuerit per sindicos communis seu libertatis Saluciarum aut per sex homines de consilio, illis consilium permittere, & illi assistere & virtute sui iuramenti obseruari facere omnes reformationes & ordinamenta consiliariorum, quæ fient tempore sui regiminis in consilio Saluciarum per maiorem partem consilij, seu per electos ad ipsa ordinamenta facienda.

De capitulis per Potestatem legendis, c. 5.

ITEM statutum est, quòd Potestas Salutiarum teneatur examinare, legere, & videre omnia statuta Saluciarum, & illa legi facere in consilio Saluciarum semel in anno, & infra mensem post introitum sui officij.

De sportulis non capiendis per Potestatem, cap. 6.

ITEM statutum est, quòd Potestas in causis pedaneis, & leuibus in quibus nulla est visio actorum, & quæ summariæ in campo possunt decidi, habentque pœnas à statutis limitatam nullas possit accipere sportulas.

sporz.

Quòd Potestas nihil capiat à detentis, c. 7.

ITEM statutum est, quòd Potestas non recipiat, nec petat aliquid pro captura, detentione, & relaxatione alicuius, quem captiuum detinuerit, qui sit de Salucijs vel ibi habitans. Nec ipse detentus Potestati aut

detenti

aut eius familiæ aliquid dare teneatur, nisi pro vacationibus & sportulis, præcedente taxa, & per manus grapharíorum.

De seruitijs non capiendis per Potestatem, cap. 8.

ITEM statutum est, quòd potestas, grapharius, ciuilis & criminalis, nec aliquis de familia sua, non debeat recipere ab aliqua persona de Salucijs aliqua munera, aut seruitia, vel aliquod carregium siue roidam magnæ æstimationis: nec eodem modo possit, seu debeat Clauarius ciuilis & criminalis Serenissimi D. Domini Regis Marchionis Saluciarum.

graph!

Quòd Potestas non participiet in accusis, cap. 9.

ITEM statutum est, quòd Potestas Saluciarum non perticipiet in accusis quouis modo, nec partem possit habere in graphariatum durante toto tempore sui regiminis, sub pena periurij.

De Potestate & Clauario cap. 10.

ITEM statutum est, quòd Potestas & Grapharij Saluciarum non possint habere aliqua officia à communi Saluciarum & ipsi communi Spactantia tempore eorum regiminis, nec esse de consilio Saluciarum & ita obseruetur in hijs qui participant in ipso officio cum grapharijs.

graff 6

Quòd Potestas & officiales non possit absentare Ciuitatem, cap. 11.

ITEM statutum est, quòd Potestas & grapharius Saluciarum non debeant absentare locum Saluciarum vltra dies tres, sine licentia consilij, vel sindicorum communis. & quatenus contingat illos recedere habita licentia vt supra, teneantur habere substitutum in officio.

De Locumtenente Potestatis cap. 12.

ITEM statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur statim post prestitum iuramentum deputare in consilio aliquem virum idoneum probum & sufficientem in eius Locumtenentem gratum consilio, qui eo absente & impedito ius reddat, & in omnibus gerat vices Potestatis. Præstito prius per eum iuramento secundum formam suprascriptam & in manibus ipsius potestatis.

De iuramento Clauarij cap. 13.

ITEM *statutum est. Quòd Clauarius malefaciorum curiæ Salutiarum teneatur iurare in principio sui officij in consilio & manibus Potestatis ad Sancta Dei Euangelia bene fideliter & legaliter exercere eius officium clauariæ, & nihil ab hominibus Saluciarum & alijs exigere ultra taxam factam, & in Ciuitate publicatam; & quòd non possit exercere officium vltra annum nec ad illud deputari nisi lapsis duobus annis sequentibus.*

De Sindicatu Potestatis Locumtenentis Clauarij, militis, & familiæ cap. 14.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Locũtenens, Clauarius maleficiorum, miles, & eius familia teneantur in fine eorum officij soluere omnia eorum debita, & sindicatum tenere de gestis in eorum officijs coram quatuor sindicatoribus eligendis per consilium Saluciarum per octo dies continuos, & respondere quibuscunque querelis, & petitionibus eisdem respectiue fiendis, & satisfacere quicquid fuerit iudicatum per dictos Sindicatores: Et quòd Potestas teneatur pro familia de delictis cõmissis durante eius regimine, & pertinen. ad officiũ.*

De Iustitiarijs eligendis & eorum officio c. 15.

ITEM *statutum est, quòd deinceps & in perpetuum in consilio Saluciarum & per ipsum consilium de tribus in tribus mensibus eligantur ad voces duo probi & litterati viri, qui denominentur Iustitiarij & debeant sedere in banco iuris, quando ius redditur per Potestatem, & assistere D. Potestati, & curare vt D. Potestas summarie procedat in causis: Et possint etiam ipsi Iustitiarij iudicare in confessis & causis Pedaneis non excedentibus summam florenorum viginti quatuor, etiam absente Potestate, Et quòd ab eorum sententijs in similibus causis pedaneis non possit appellari.*

De quatuor hominibus eligendis super discordijs cap. 16.

ITEM *statutum est, quòd singulis tribus mensibus quando officiales communitatis eliguntur, teneatur Potestas in consilio eligi facere per credendarios ad voces quatuor homines, qui habeant plenum posse & bailiam faciendi concordiam de questionibus causis & litibus cuius uis generis sint, quas habent vel habebunt de cetero inter se homines litigantes in quacunque curia in iudicium deductis, siue non de iure tantum, de concordia tantum, de iure & concordia simul, secundum quod eis melius uisum fuerit, qui homines sic electi pariter debeant in concilio, quàmprimum fuerint electi iurare bene & legaliter eorum officium exer-*

exercere, prout eorum conscientia cognoscet, tam pro vna parte, quàm alia, Ita quòd si fuerint requisiti ab vna parte litigantium de concordando aliquam eorum causam, quòd hoc facere teneantur toto eorum posse: Et teneatur Potestas altera partium petente, causam ipsam remittere dictis arbitris siue lis fuerit contestata, siue nõ, & in quacunque parte iudicij. Et tenebuntur ipsi electi intra duos menses à die remissionis, partes audire, eorum iura summarie exhiberi facere, & videre, & studere toto eorum posse, causas ipsas concordare omni meliori modo quo sciuerint, & potuerint more proborum virorum, & etiam si eis videbitur, vel requisiti fuerint, consilium iurisperiti habere sumptibus partium, & teneantur intra dictos duos menses causam ipsam diffinire. Quod si dicti electi aut eorum aliquis fuerit per partem, aut earum alteram suspecti allegati ex iuxta causa, quòd teneatur Potestas loco suspecti vel suspectorum alium vel alios deputare: Et si fuerit ab eorum sententijs appellatum, quòd eo casu, non obstante appellatione, & citra illius præiudicium sententia mandetur executioni media cautione idonea, Et possint pro eorum vacationibus & labore capere sportulas iuxta qualitatem causæ & ad rationem laboris.

De discordijs terminandis cap. 17.

ITEM *statutum est, quòd si aliqua rixa esset vel fieret in Salucijs (quod Deus auertat) inter aliquas personas de Salucijs vel ibi habitantes, uel alios ibi commorantes citra sanguinis effusionem debilitatem membrorũ, & ossium fracturam, quòd D. Potestas Saluciarum cum sex hominibus de Salucijs quos eligere voluerit, possit & debeat suo posse de prædictis, seu inter prædictos pacem facere infra decem dies, postquam notitiam habuerit de ipsa rixa, Et possit cum ipsis sex, vel maiori parte eorum, ordinare vel facere quicquid eis videbitur iustum & conueniens, & secundum quòd ordinauerint, & consuluerint, cum ipso D. Potestate, ipse potestas compellat partes inuiolabiliter obseruare.*

De Graphario Curiæ ordinariæ cap. 18.

ITEM *statutum est, quòd Grapharius causarum ciuilium curiæ Saluciarum debeat recipere, & recipiat & faciat omnia instrumenta æstimorum, quæ reportabuntur per æstimatores cõmunis Saluciarũ, & etiam omnia instrumenta tutelarum, & inuentariorum ac curarum, quæ de cætero fient, & decernentur in Salucijs, & Scribat omnia acta ciuilium causarum, ac alia quecunque acta & instrumenta requiren. presentiam iudicis, & decretum, & non recipiantur per alium seu alios: & recipiat etiam omnes condemnationes quæ tota die fiunt super causis ciuilibus, & petitionibus factis in curia Saluciarũ: Et si per alium, uel alios fierent, non valeant, & recipiens teneatur graphario soluere duplum, & parti interesse; Et si quis rogauerit alteri ipsa instrumenta soluat bannũ pro qualibet uice florenorum octo. Recipiet insuper omnes processus causarum Ciuilium, & sententias latas, siquæ in futurum proferentur super causis ciuilibus in curia Saluciarum: & Potestas Saluciarum qui nunc est, & pro temporibus fuerit teneatur & debeat uinculo*

iuramenti

Decretu

iuramenti auctoritatem ſuam interponere cum decreto dictis æſtiniscuris tutelis & inuentarijs iure cuuslibet tertij ſempre ſaluo, & ſine aliquo prẽmio, niſi adhibita cauſę cognitione, inde exigendo uinculo iuramenti. Et ſi forte aliqua inſtrumenta prędictorum proceſſum, cõdemnationum, ſeu acta cauſarum ciuilium inter perſonas de Salucijs fierent per aliquem alium notariũ, quàm per dictum Grapharium communis ſeu curiæ cauſarum Ciuilium, non adhibeatur eis aliqua fides, ſed habeantur penitus pro infectis; Nec Poteſtas reddat de ipſis ius alicui petenti. Et idem ſeruetur ſi per alium interponeretur decretum & auctoritas, quàm per poteſtatem loci, & curiæ Saluciarum.

De iure reddendo bis in hebdomada cap. 19.

ITEM ſtatutum eſt, quòd Poteſtas teneatur. ius reddere bis in hebdemoda videlicet Mercurij & Sabati hora veſperorum, & ſedere pro tribunali per ſpatium duarum horarum plus & minus ſecundum multitudinem cauſarum. Et ſi contingeret dictis diebus celebrari feſtum, per quod dies efficeretur feriata, teneatur in craſtinum non feriatum ſedere, & ius reddere hora ſolita vt ſupra.

De modo procedendi in cauſis ciuilibus cap. 20.

ITEM ſtatutum eſt, quòd actor in prima dieta teneatur comparere per ſe aut procuratorem legitimè conſtitutum, alias Grapharius non ſcribat eius comparitionem, nec audiatur a Poteſtate. Reus verò pariter teneatur in prima dieta legitimè comparere per ſe vel procuratorem etiam legimè conſtitutum, alias etiam non audietur niſi ex cauſa Poteſtas concedat unicam dilationem ad legitime comparendum. Reo comparente die cadentis aſſignationis tenebitur reſpondere petitioni, & per quamcumq; reſponſionem uel exceptionem cenſeatur lis conteſtata. Quo facto declaratis, partibus contrarijs, actor dabit facta infra octo, & Reus infra alios octo ſubſequentes reſpondebit dictis factis ore proprio; aliàs facta ipſa pro confeßis & veris habebuntur ipſo iure, niſi infra alios octo dies ſubſequentes reſpondeat, & pariter tenebitur infra dictas dilationes dare materiam contrariam ſi bonum illi videbitur & cui ſimiliter tenebitur actor reſpondere vt ſupra. Poteſtas asſignabit partes ad probandum intra dilationem per ipſum arbitrandam, qua aſſignatione facta, non poterunt partes aliquid in facto vlterius deducere. quam dilationem ad probandum poterit Poteſtas ſemel prorogare, aut vnicam nouam concedere ex iuſta cauſa & non vltra. Factis probationibus & productis inqueſtis aſſignabuntur partes hincinde ad dicendum cauſas quare inqueſtę recipi non debeant infra dies octo, aliàs pro receptis habebuntur; Quibus receptis aſſignabuntur partes ad dandum obiectus & ſaluationes octauo quoq; die, quo termino lapſo publicentur

Conteſt°

tur inqueſtæ aſſignibitq; partes ad exhibendũ quacunq; infra dies octo, & ad ſaluandum infra octo ſubſequentes, demumq; ad ius. Et quia in quacunq; parte iudicij licet interrogatoria producere, tenebitur pars vbi dicta fient interrogatoria infra dies octo reſpondere, aliàs ad electionem interrogantis pro pronuntiatis habebuntur ipſo iure. Actore verò non comparente, die aſſignata dabitur Reo congedium, cum expenſis. Reo non comparente, dabitur defectus cum expen. pro cuius vtilitate iterum aſſignabitur: quòd ſi non compareat, excludetur ab omnibus exceptionibus, & defenſionibus, & habebitur lis pro negatiuè conteſtata, aſſignabiturq; actor ad probandum eius petitionem infra dilationem ſtatuendam parte vocata. & ipſo perſeuerante in contumacia, publicetur inqueſta & inſtruatur cauſa ad ius, abſque alia formalitate, ipſoque vlterius non vocato.

Contuma

De modo procedendi contra abſentes, aut defuncti bona, cap. 21.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliquis uoluerit agere contra aliquem abſentem, vel contra bona ſeu hereditatem alicuius ſui debitoris defuncti cuius non appareat aliquis heres, quòd procedatur & obſeruetur vt infra, uidelicet quòd primo citentur duo ex proximioribus agnatis uel cognatis uel vicinſtalis perſonę defunctę vel abſentis ad ſuſcipiendum curam: qui tenebuntur infra tres dies comparere, & curam ſuſcipere uelrecuſare. Quibus non comparentibus vel recuſantibus preconizetur in platea Saluciarum & ante domum habitationis defuncti vel abſentis, auctoritate Domini Poteſtatis & ad inſtantiam creditoris, ſi quis uelit eſſe hæres dicti defuncti, aut defendere bona defuncti ſeu abſentis, quòd compareat coram poteſtate infra octo dies poſt proclamationem, & ſe ſcribi faciat an compareat pro herede vel defenſore, in actis curiæ: & tunc tenebitur reſpondere petitionibus creditorum. Quòd ſi nemo compareat infra dictam dilationem, tunc poterit Poteſtas prouidere de curatore hereditati iacenti, vel bonis abſentis de aliquo ex procuratoribus curiæ ſuæ infra triduum poſtquam fuerit requiſitus, & poterit cogere dictum procuratorem ad ſuſcipiendã dictam curam pœnis & multis media mercede, ac ſuſpenſione ſeu priuatione officij: & qui tenebitur facere inuentarium: & ſi dictus curator dicat nulla inuenire bona cum iuramento, de quibus poſſit conficere iuuentarium, quòd tunc ad requiſitionem creditoris teneatur Poteſtas declarare bona defuncti, vel abſentis eſſe ſufficienter excußa, & apertam viam agendi contra tertios poßeſſores, & valeat talis excuſſio abſque alia ſolemnitate. bonis vero per curatorem repertis & inuentarizatis, tunc dictus curator de dictis bonis tradet in ſolutum creditori cognita prius cauſa debiti per Poteſtatem, & precedentibus ſubhaſtationibus, vt in ſtatuto de executione fienda.

De

De causis communitatis, cap. 22.

ITEM *statutum est, quòd in omnibus causis & quæstionibus tangen. commune Saluciarum & facientibus pro communi procedatur summariè de plano sine figura Iudicij aliqua exceptione in contrarium non obstante.*

De Principali prius conueniendo quàm fideiussore, cap. 23.

ITEM *statutum est, quòd si aliquis se pro alio constituerit fideiussorem vel principalem debitorem pro aliquo debito versus aliquem creditorem, creditor teneatur conuenire & agere prius contra principalem suum debitorem, quã contra secundarium uel fideiussorem, & de ipsius bonis mobilibus uel immobilibus suam recipere & consequi solutionem. Et si principalis debitor, non haberet unde soluere debitum, facta prius inquisitione de bonis suis summariè, tunc possit creditor secundarium tamquam principalem obligatum vel fideiussorem conuenire, non obstante quauis renunciatione per fideiussorem facta. & sit istud capitulum ita efficax & validum, quòd eidem non possit renunciari; & renunciatio de eo facta non valeat etiam iuramento affirmata.*

De fideiussoribus releuandis per principalem debitorem, cap. 24.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Saluciarum presens & futurus teneatur & debeat quemlibet debitorem pro cuius debito aliquis se constituisset fideiussorem vel principalem debitorem, & pro eo soluisset, quandocunque fuerit requisitus ab eo cuius interest, uel eius procuratore, aut herede seu successore, compellere & cogere nulla precedente condemnatione, uel ordine iuris seruato, sed constito summarie de solutione facta per fideiussorem, seu uti principalem obligatum de summa principali & expensis, talem principalem pœnis & bannis, ac per arrestationem personalem, & bonorum leuationẽ, inquantationem, ad releuandum & indemnem conseruandũ eius fideiussorem uel pro eo uti principalem obligatum usque ad integram satisfactionem principalis debiti expensarum & interesse, secundum taxam Domini Potestatis.*

De condemnationibus & terminis dandis debitori, cap. 25.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur sponte confessos in prima assignatione condemnare, & eis concedere dilationem ad soluendum, videlicet à florenis vigintiquinque infra, dierum decem, & à florenis vigintiquinque usque ad quinquaginta, dierum viginti; & ab inde supra, unius mensis, nisi debitor sit de fuga suspectus, quo casu prouideat Potestas prout iuris fuerit, citra tamen preiudicium executionis, literarum obligatoriarum, quę non comprehenduntur in hoc statuto, exceptis etiam debitis confessis ex causa manualiæ, quę habebunt promptam exceptionem contra debitores ipsos confessos.*

Manualia

De sententijs, cõdemnationibus, & instrumẽtis obligatorijs executioni demandandis, c. 26.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur executioni demandare omnes sententias & condemnationes, quę transitum fecerint in rem iudicatam, & etiam omnia instrumenta obligatoria à notarijs regijs Delphinalibus, aut olim marchionalibus confirmatis recepta, & apochas recognitas, quoties fuerit requisitus modo infrascripto, videlicet in sponte confessos post dilationem de qua in statuto precedenti, & quo ad alios post factam iniunctionem de soluendo arbitrio domini Potestatis. & si infra premißas dilationes non satisfecerint debitores, procedatur ad executionem super bonis mobilibus & immobilibus condemnati debitoris ad electionẽ creditoris cum expẽsis: exceptis causis pupillorũ, in quibus in primis excutientur bona mobilia, nisi tutor dicat & asseueret cum iuramento coram potestate nulla extare mobilia nisi pro usu necessario pupillorum: quo casu proceadat ad executionem super immobilibus. Quòd si in executione capta fuerint bona mobilia, auferantur à manu debitoris, & reponantur penes proximiorem vicinum responsalem sub inuẽtario, cuius copia tradetur debitori; & eo absente, ad domicilium; & assignabitur debitor visurus pignora proclamari, inquantari, & subhastari, eiq; designabitur dies locus & hora, videlicet, si bona de pignore capta sint mobilia incantabũtur, & subhastabuntur prima die fori; & facto primo inquãtu, proclamabit exequutor, quòd subsequenti die fori statuenda fiet dictorũ pignorũ vltimus inquantus & deliberatio ad lumen & extinctum candelę plus & vltimò offereti: quod debitori, & pretium si quod oblatum est, significabitur. Si interea debitor non satisfecerit, vltimus inquantus fiet, & vltimò & plus offerenti pignora delibe-*

Apocha

pupilli

pignora

rabuntur. Si verò pignora sint immobilia, facta leuatione de gagio, committentur cuiusdę proximioris vicini responsalis, qui fructus regat: & inquãtabuntur tribus diebus fori continuis non feriatis sub porticu communi hora statuenda per executorẽ; et quilibet inquãtus intimẽtur debitori, & deliberabũtur bona plus & vltimò offerẽti, ad lumen & extinctũ candelæ in vltimo inquantu. Citabitur inde debitor coram Potestate & Iudice visurus procedi ad interpositionem decreti bonorum de pignore captorum, dicturusque causas, si quas habet, cur decretum interponi non debeat actis executionalibus; & si causæ per debitorem allegatæ non sint validę, potestas procedet ad interpositionem decreti. & si summa in licitatione oblata per creditorem aut alium, summam debiti & expensarum excedat, quod supererit, debitori expedietur. Quòd si debitor executioni se opponat, executor diem assignabit debitori coram Po-

testate dicturo causas suarum oppositionum. procedet nihilhominus exequutor ad pignorationem, proclamationes, inquantus, & subhastationes, vsque ad decreti interpositionem exclusiue, factaq; decreti interpositione assignabitur debitor die & hora præfigenda super loco, visurus fieri missionem, & quæ ipso præsente aut absente fiet, cum inhibitionibus opportunis, & vbi debitor non sit præsens missioni in possessionem, illi intimabitur: & præmissa omnia intelligantur vbi debitor non est submissus ad personam, quia tunc poterit exequutionem personalem aut realem ad sui electionem facere.

De terminis dandis debitori ad redimendum bona pro executione capta, cap. 27.

ITEM *statutum est, quòd debitor, cui ex qua uis causa & pro quouis debito fuerint aliqua bona immobilia pro executione, iudiciali capta, & creditori aut alicui tertio deliberata, quòd ille possit dicta bona immobilia redimere & recuperare, videlicet, si summa pro qua facta fuit exequutio, non excedat florenos ducentum, & vsque ad dictam summam florenorum ducentũ, infra unum mensem: à dictis florenis ducentum vsque ad florenos quatuor centum, infra duos menses; & ab inde supra, vsque ad quatuor menses numerandos à die factæ realis missionis in possessionem: & teneatur ille cui fuerint dicta bona immobilia deliberata infra dicta tempora respectiuè debitori illa remittere cum fructibus, quatenus non fuerint à solo separati; Si verò fuerint percepti, remaneant illi, cui fuerint dicta bona deliberata, soluendo per debitorem summam debiti principalis & expensarum. & interim pendente dicto termino recuperandi vt supra, non poterit in dictis bonis aliquod inferre damnum per depopulationem arborum, aut alio quouis modo, nec de dictis bonis aliquem contractum facere, sub pœna nullitatis, damnorum, expensarum, & interesse debitoris. & lapsis dictis terminis, vt supra, ille cui fuerint dicta bona deliberata, sit verus dominus & possessor, dummodo bona pro executione capta non excedant dimidiam principalis debiti & expensarum.*

Quòd principalis debitor luere teneatur pignora leuata fideiussori, cap. 28.

ITEM *statutum est, quòd si exequutio facta fuerit super bonis mobilibus, aut immobilibus fideiussoris, quòd tunc & eo casu principalis debitor teneatur eadem redimere, modo & tempore infrascripto, videlicet si bona sint mobilia seu se mouentia, dictus debitor teneatur eadem redimere & luere infra tres dies post sibi factam intimationem & requisitionem per fideiussorem; si verò bona fuerint immobilia vt supra leuata de gagio, quòd prædictus debitor teneatur eadem luere & redimere infra dimidiam temporis concessi, ad luendum bona immobilia subhastata iuxta declarationem statuti positi sub rubrica de terminis dandis debitori ad redi-*

redimendum bona pro exequutione capta, sub pœna damnorum, expensarum, & interesse, ac per arrestationem personalem.

De pignore non denegando exequutori, c. 29.

ITEM *statutum est, quòd nulla persona audeat prohibere factis, aut verbis exequutori facienti exequutionem auctoritate Potestatis ne pignus capiat, sub pœna pro prima vice dupli eius pro quo pignoratur, & pro secunda incarcerationis donec soluerit id quod debet.*

De pignoribus vendendis, cap. 30.

ITEM *statutum est, quòd si aliquis uenditor, reuenditor, hospes, uel alius creditor, acceperit pignus ab aliquo pro rebus quas vendiderit aut commodato, mutuo, aut locato dederit, teneatur illud pignus mobile custodire per spatium vnius mensis: & antequam possit distrahere pignus, post lapsum mensis prædicti, teneatur denunciare domino pignoris vt pignus redimat: Quod si facere neglgat, habita licentia a Potestate, possit illud pignus vendere sub hasta: & si de pluri vendatur quam sit debitum, illud plus tradat domino pignoris: nisi aliter esset conuentum inter partes.*

De non incarcerando aliquem de Salucijs, c. 31.

ITEM *statutum est, quòd aliqua persona de Salucijs, vel ibi habitans, non possit pro debito fiscali vel communis Saluciarum incarcerari dummodo possideat bona immobilia uel mobilia ibi, quæ sufficiãt pro debito: sed possit talis persona detineri & arrestari sub porticu domus cõmunis donec soluerit.*

De detinendo extraneos siue forenses debentes homini, & in ciuitate aut finibus repertos, cap. 32.

ITEM *statum est, quòd si aliqus forensis, vel extraneus à loco Saluciarũ habitans extra ciuitatem Saluciarum debuerit aliquid proprio nomine uel hereditatio aut fideiussorio nomine alterius alicui de Salucijs vel ibidem habitanti aliqua occasione seu causa, quòd potestas ad requisitionem personæ de Salucijs teneatur talem personam si eam repererit in Salucijs vel posse, facere personaliter detineri, & tuttè retineri, vel eius bona mobilia sequestrari ad electionem creditoris medio eius iuramento & cautione prestanda per eum de damnis, expensis, & iniuria, donec soluerit quod eidem debuerit, nisi talis persona idoneum fideiussorem de Salucijs præstaret, seu deponeret, qui vel quod sufficeret indemnitati sui creditoris, videlicet de iudicio sisti & iudicatum soluendo in Salucijs. & si persõna de Salucijs requirens detineri personam extraneam non poterit probare petitionem suam legitimè infra tertiam diem post arrestum factum, quòd Potestas talem personam forensem*

ebitores

sem detentam & quę non reperuisset fideiussorem vel pignus, teneatur relaxare, & à petitione absoluere, & personam de Salucijs arrestare personaliter donec soluerit tali personæ forensi interesse & expensas per eum factas in duplo arbitrio & secundum taxam Potestatis, nisi persona de Salucijs ostenderet Potestati aliquam iustam causam propter quam non potuisset infra dictum terminum suas probationes facere, quo casu Potestas possit terminum prædictum prorogare, dummodo prorogatio non excedat terminum aliorum trium dierum, & intelligatur in hoc casu persona tunc esse forensis a loco Saluciarum, quæ non habitat in Salucijs ad locum, focum & catenam. & prœmissa intelligantur nisi esset notorium Potestati talem personam forensem habere bona in posse & territorio Saluciarum.

De personis extraneis repertis in Salucijs cogendis ad solutionem, cap. 33.

ITEM *statutum est, quòd personæ extraneæ non habitantes in Salucijs ibi repertæ debentes aliquid alicui de Salucijs, vel ibi habitanti, vel communi Saluciarum, habentes & possidentes bona vel iura in Salucijs, compellantur soluere hominibus Saluciarũ in pecunia: & si iurauerint se pecuniã nõ habere, compellantur tradere in solutum creditori suo de suis possessionibus vel iuribus quantum esset debitum principale & expensæ taxatæ prius per Potestatem: & si non comparuerit, dentur in solutum creditori de bonis vel iuribus debitoris, vt supra citra præiudicium tamen obligationis ad corpus, & non obstante quacunque exceptione declinatoria.*

De personis contumacibus detinendis, cap. 34.

ITEM *statutum est, quòd si aliqua persona de Salucijs, vel ibi habitans, seu in Salucijs reperta personaliter citata fuerit per trinam citationem, & semper neglexerit comparere hora qua citata fuerit, quòd eo casu potestas teneatur talem personam contumacem & inobedientem personaliter capere ad instantiam creditoris, & ipsam captam detinere donec soluerit ipsi creditori id pro quo cõueniebatur cũ expensis, uel donec consignauerit creditori & in scriptis tradiderit tot res sufficientes ad solutionem principalis debiti & expensarum iuxta taxam domini Potestatis, saluo semper beneficio miserabilis cessionis bonorum cuilibet debitori, & hoc capitulum habeat locum, si creditor volens aliquem sic contumacem facere detineri, fidem fecerit prius de eo, quod petit per idoneos testes vel instrumenta seu apocham vel confessionem, vel alio quouis legitimo modo. & hoc capitulum nõ habeat locũ in personis, quę habent bona super quibus possit fieri exequutio.*

De condemnationibus factis contra formam statutorum, cap. 35.

stat.

ITEM *statutum est, quòd omnis condemnatio facta contra formam statutorum non valeat, siue sit facta contra personam de Salucijs, uel ibi habitantẽ.*

De

De ferijs, cap. 36.

ITEM *statutum est, quòd ferię sint & esse debeant a festo sancti Thomę vsque ad festum Epiphaniæ in caussis ciuilibus & in die Carnispriuij propter rogationes fieri solitas, & in die Cinerum, & festo ramę palmarum vsque ad octauam Paschæ, & in festo consecrationis corporis Christi, & in quinque festiuitatibus Beatæ Mariæ virginis videlicet Annuntiationis, Assumptionis, Nuis, Natiuitatis & Purificationis, & in quolibet festo dominicę Ascensionis, & in omnibus Diebus Dominicis, in festo sancti Io. Baptistæ, in festo decollationis eiusdem, in festo sancti Martini, Sancta Catherinæ, Beatæ Mariæ Magdalenæ & Beatæ Lutiæ virginis, Sancti Blaxij, Sancti Nicolai, Sancti Laurentij, Sancti Michaelis, & in omnibus festiuitatibus duodecim apostolorum, ac in omnibus festiuitatibus ab ecclesia præceptis, & quæ obseruantur à clero & populo, & etiam sint ferię per septem dies ante festum Sancti Ioannis Baptistæ, & per quindecim dies post, occasione messium, & per octo dies ante festum Sancti Michaelis, & per quindecim dies propter vindemias: & sint etiam feriæ propter nundinas diebus decima octaua, decimanona, & vigesima Aprilis, decima, vndecima, & duodecima Augusti; decima octaua, decimanona & vigesima Octobris, vltima Nouembris, prima & secunda Decẽbris, Et si quid in ipsis diebus cõtra nostrã formã præsentis statuti ciuiliter actum fuerit, non valeat nisi ex consensu partium processum fuisset. Et hoc statutum non preiudicet in causis vbi de iure ferijs non obstantibus procedi potest.*

messium

vindem.

nundin.

De nundinis, cap. 37.

ITEM *statutum est, quòd in omni tempore quatuor nundinarum quæ fieri teneri & esse solent, videlicet in festo sancti Georgij de mense Aprilis, in festo Sancti Laurentij de mense Augusti, in festo Sancti Lucę de mense Octobris, in festo Sancti Andrę de mense Nouembris, nulla persona vndecunque sit, ad instantiam alicuius personæ non possit detineri, nec eius merces ad nundinas conductę capi tã pro causa ciuili quàm pro causa criminali, nisi reperiretur in fragranti crimine, aut pro delicto commisso tempore dictarum nundinarum, & nisi in cõtractibus, et negotijs factis in ipsis nundinis, accessu, seu regressu, in quibus fiat ius vnicuique petenti summariè, sine strepitu, & figura Iudicij, & intelligãtur feriæ in dictis nundinis, per quinque dies singularum nundinarum incluso accessu & regressu, videlicet per vnam diem ante, & aliam diem post triduum nundinarum.*

De tutore & curatore dando minoribus, ca. 38.

pup.

Minor vsq ad

ITEM *statutum est, quòd potestas Saluciarum uinculo iuramenti teneatur dare pupillis tutorẽ, & minoribus vsque ad vigesimum annum curatorẽ, etiam non requirentibus, & inuitis infra triduũ postq; deuenerit ad eius notitiam patrem pupilli seu minoris decessisse, aut tutorem seu curatorem iam deputatum*

tum

tum, & similiter teneatur prouidere de curatore furiosis, & mentecaptis, nisi alias fuerit per patrem ordinatum, videlicet proximiores agnatos & cognatos, & ipsis deficientibus, meliores vicinos; ita tamen vt mater ad secunda uota transiens, non possit constitui tutrix vel curatrix, minusque vitricus; & si aliter fiat, non valeat constitutio: Et quòd in datione cuiuslibet tutoris vel curatoris Potestas recipiat à quolibet tutore vel curatore idoneum fideiussorem, qui promittat personam & bona pupilli saluas fore, & eius bona obliget, prout & faciet ipse tutor & curator.

De perquirendis bonis pupillorum & minorum per sindicos libertatis, cap. 39.

ITEM statutum est, quòd sindici libertasis teneantur & debeant statim habita notitia de morte alicuius de Salucijs vel ibi habitantis qui reliquerit filios pupillos, aut minores, accedere ad Potestatē Saluciarum, & in eius comitiua clauarij Causarum Ciuilium Saluciarum, se transferre ad domum dicti defuncti, & ibi inuentarium de omnibus & quibuscunq; bonis fieri facere: & interim bona custodiæ alicuius proximioris agnati, & cognati, seu vicini remittere donec dictis pupillis & minoribus de tutore & curatore fuerit prouisum. Et tenebuntur domestici & vicini talis personæ defunctæ statim sequuta morte id notificare Sindicis libertatis, aut eorum alteri, sub pœna damnorum & interesse pupillorum.

De inuentario fiendo per tutorem & curatorem, cap. 40.

ITEM statutū est, quòd tutores, curatores tam testamentarij quā datiui, teneantur infra triduum post susceptam tutelam & curam respectiuè inuentarium de bonis pupilli minoris & furiosi ac mentecapti facere, in quo describantur per clauarium causarum Ciuilium communitatis Saluciarum & non per alium omnia bona mobilia & immobilia, iura, & actiones, reperta in hereditate, & peruenta ad eorum notitiam: & hoc non obstante quacunque liberatione & prohibitione inuentarij facta per patrem in eius testamento aut codicillis.

De vendendis bonis mobilibus pupillorum & minorum, cap. 41.

ITEM statutum est, quòd tutores & curatores dati pupillis tam ex testamento quàm per curam Saluciarum teneantur infra vnum mensem postquam fuerint constituti uendere publicè, cum publicis subhastationibus fiendis in platea Saluciarum, vocatis Sindicis libertatis, omnia bona mobilia pupillorum & minorum, quibus fuerint dati uel constituti tutores uel curatores non necessaria nec oportuna eisdem pupillis & minoribus ad vsum eorum & familia

milia vni vel pluribus & plus offerenti ea deliberare, & ipsorum pretia pro quibus fuerint uendita, particulariter describere in inuentario super inde facto, vt de ipsis opportunè possit haberi ratio, & eadem pretia teneantur conuertere in aliquārē, quæ faciat redditum ipsis pupillis, nisi aliter per testatores in eorum testamētis esset prouisum; & si dicti tutores in præmissis fuerint negligentes, tunc teneantur ipsis pupillis & minoribus ad omne interesse paßum per ipsos pupillos & minores occasione pręmissa, iuxta taxam domini Potestatis.

De procuratore constituendo ad caussas pupillorum & minorum, cap. 42.

ITEM statutum est, quòd tutores & curatores tam testamentarij quàm datiui possint constituere procuratores, tam in iudicio quàm extra ad causas ipsorum pupillorum & minorum, periculo rerum ipsorum constituentium: Et etiam maiores decem & octo annorum non habentes curatorem possint constituere: & valeat talis cōstitutio ꝓcuratoris ac si eßet legitimę ætatis, & ac si esset actoria legitime facta, nulla super hoc obstante exceptione.

De reddenda ratione per tutores & curatores, cap. 43.

ITEM statutum est, quòd omnes tutores & curatores testamentarij, & datiui, tutrices, & curatrices, & cuius suis generis sint, teneantur finita tutela & cura respectiuè de administratis rationem reddere illi uel illis personis quibus fuerint deputati tutores, vel curatores, tutrices, vel curatrices: & ad id cogantur, non obstante quacunq; liberatione, seu prohibitione pœnali aut legato reliquatus per testatorem facto; & redditio ipsa fiat coram Potestate, & Sindicis libertatis ac duobus ex proximioribus: & aliter facta redditio non valeat. & quòd minor viginti annis, non poßit eius tutorem liberare & quitare absq; decreto potestatis & interuentu curatoris, Nec aliquem contractum facere sine curatoris & iudicis actoritate.

De tempore petendæ rationis, cap. 44.

ITEM statutum est, quòd tutores, aut curatores, eorùm ue, hæredes, lapsis sexdecim annis post finitam tutelam, & decem post finitam curam, non poßint cogi, nec compelli ad aliquam rationum redditionem: sed lapsis dictis temporibus respectiue nulla facta petitione iudiciali de reddenda dicta ratione; censeantur omnino exempti & liberi à dicta redditione ranionum: & non possint ratione dictæ tutelæ & curæ molestari.

De alienationibus per minorem non faciendis, cap. 45.

ITEM *statutum est, quòd aliqua persona de Salucijs minor viginti annorum non possit facere aliquam alienationem rerum suarum immobilium sine consensu duorum suorum propinquorum attinentium & sui curatoris; & casu quo non haberet attinentes, non valeat alienatio, nisi interueniat licentia & consensus domini Potestatis & curatoris. seruata forma prędicta, valeat alienatio, prędecedentibus tamen in vtroq; casu debitis subhastationibus; & alienatio facta non seruata forma prędmissa, non valeat, non obstante quocunque iuramento, & quibuscunque renunciationibus.*

SECVNDA COLLATIO DE CONSILIO SALVCIARVM.

De eligendis electoribus consilij Saluciarum, cap. 46.

ITEM *Statutum est, quòd quolibet anno in vltimo consilio mensis Decembris eligantur in consilio Salutiarum sex homines de dicto consilio videlicet de quolibet burgo duo, qui prouideant super facto consiliariorũ: & faciant electionem, mutato prius consilio, ad breuia, ita vt singulo anno mutentur duodecim de dicto consilio, & ipsorum loco ponantur alij duodecim, videlicet de quolibet burgo quatuor: & procedatur in prędmissis secundum solitum.*

De numero & electione consiliariorũ, cap. 47.

ITEM *statutum est, quòd consilium Saluciarum consistat personis triginta sex, videlicet de quolibet burgo duodecim, qui tenebuntur in consilio & manibus Potestatis iurare bene & fideliter arrangare, & consulere, & vtilia cõmunitatis facere. nec poterunt eligi de consilio nisi sint oriundi de Salucijs.*

consil.

De Sindicis communis & libertatis ad voces eligendis, cap. 48.

ITEM *statutum est, quòd Sindici communis libertatis, ratiocinatores iustitiarij, & arbitri super discordijs, eligantur in consilio Saluciarũ ad voces secretas. & teneantur, omni oppositione, remota dicta officia exercere per-*

personaliter, & non per interpositam personam: Nec possint dicta officia alicui cõmittere, & delegare, nisi ex iusta & rationabili causa arbitrio consilij, Ita tamen vt qui habuerit officium sindici communis, aut libertatis, non possit ad illud eligi iteratò, nisi lapso integro anno à die finiti dicti officij. & habebunt pro salario Sindici communis scutos duos auri solis pro quolibet, & Sindici Libertatis scutum vnum auri solis pro quolibet pro tribus mensibus, quibus durat eorum officium respectiuè.

salar.

De officialibus ad breuia eligendis, cap. 49

ITEM *statutum est, quòd stantiatores æstimatores, atterminatores, adiuss tatores, reuisores, & alij officiales communis, eligantur in consilio Saluciarum ad breuia, & mutentur per modum electionis consuetæ de tribus in tribus mensibus: qui pariter tenebuntur officia ipsa exercere, & non alijs committere, nisi ex iusta causa vt supra eo saluo, quòd ille qui habuerit dictum officium tribus mensibus præcedentibus, non possit ipsum officium habere in alijs tribus mensibus subsequentibus: & semper prędecedentes in officio tam in hoc statuto, quàm in prędcedenti reputentur pro veris officialibus, & teneantur dicta officia exercere, donec alij fuerint electi. & omnes supra nominati officiales teneantur iurare de exercendo officia fideliter in manibus domini Potestatis: & in casu recusationis poterunt per potestatem cogi. & si dicti electi ita essent in exercendis officijs & alijs commissis negligentes, quòd eorum culpa vel negligentia aliquod damnum eueniret communitati, quòd ipsi teneantur ad refectionem damnorum & interesse.*

De officio Sindicorum libertatis, cap, 50.

ITEM *statutum est, quòd Sindici libertatis virtutis eorum iuramenti teneãtur manutenere & defendere toto eorum posse libertates Saluciarum omnes franchisias, statuta, ordinamenta, & omnes bonas consuetudines dictæ Ciuitatis, ac etiam minorum bona defendere vt supra dictum fuit, ita & taliter, quòd si alicui personę de Salucijs vel aliunde; facta fuerit aliqua oppressio siue iniustitia contra formam libertatum, franchisiarum, statutorum, & bonarum consuetudinum salucarum uel contra formam iuris, quòd dicti Sindici seu alter eorum incontinenti postquàm notitiam habuerint, teneantur talem personam toto eorum posse à tali oppressione & iniustitia defendere, & facere ei obseruare omnes franchisias, statuta, ordinamenta & bonas consuetudines si eis fuerit contrafactum: Et teneatur Dominus Potestas quotiens fuerit à dictis sindicis requisitus dare eis consilium Saluciarum, & illud congregari facere, & si opus fuerit, & ita per consiliũ ordinatum, fiant defensiones sumptibus communis. Et pariter tenebuntur facere, quòd Grapharij ciuiles & criminales non capiant vltra taxam pro scripturis. Et pariter tenebuntur dicti Sindici libertatis ex debito eorum officij contradicere omnibus gratijs, muneribus, & alijs propositis in consilio concernentibus damnum & interesse quoquomodo dictę communitatis, & eo casu surgere publice, & opponere contra petitiones, tam præsentibus quàm absentibus petentibus gratias, Ita tamen vt teneantur petentes*

gratias recedere à consilio: & habebunt dicti Sindici libertatis pro eorum salario scu tũ unũ auri pro quolibet pro tribus mensibus ut in precedentibus statutis dictũ fuit.

De atterminatoribus eligendis & mittendis per Potestatem, cap. 51.

ITEM *statutum est, quòd si aliqua persona requisiuerit à potestate Saluciarum quòd mittat atterminatores ad atterminandum aliquas possesiones seu prædia rustica, vel vrbana, uel ad alium locum, seu in viam publicam vel priuatam, quòd potestas antequam mittat, faciat citari personaliter habentes prędia iuxta locum in quo termini plantari requiruntur: & si prædictus requirens dixerit terminos in ipso loco, prædio vel via, non esse ponendos, tunc potestas teneatur assignare terminum parti contradicenti octo dierum ad probandum quidquid voluerit, vel potuerit, quare termini non sint plantandi. & si probauerit aliquid, tunc potestas procedat consilio iurisperiti, nisi sit ipse iurisperitus. & si aliter fecerit, vel fieri fecerit non valeat; & si nihil probauerit, ponantur termini vt supra. & si requiratur atterminari via publica. per plures partes, uel per totam ipsam viam, quòd termini ponantur quando Potestas fuerit requisitus vt supra citatis vicinis, seu alijs quibuscunque personis.*

De Salario atterminatorum, & æstimatorum, cap. 52.

ITEM *statutum est, quòd atterminatores habere debeant pro quolibet termino quem posuerint intra ciuitatem uel extra super finibus Saluciarum iuxta taxam fiendam per Dominum Potestatem àqualibet parte; & pariter æstimatores habeant pro eorum salario iuxta taxam Domini Potestatis.*

De atterminatoribus, cap. 53.

ITEM *statutum est, quòd si aliquis denunciauerit potestati, quòd aliquis acceperit de sua possessione vltra terminos, seu vltra id quod quis cõsuetus est tenere, quòd potestas ad requisitionem talis denuntiantis teneatur mittere atterminatores, qui ponant terminos lapideos secundum quòd eis visum fuerit iustum. & positis terminis, quisquis postea transgressus fuerit contra voluntatem domini prædij in quo factus fuerit trangressus, soluat bamnum pro quolibet & qualibet vice florenorum quatuor. & semper presumatur excessisse terminos contra voluntatem, nisi de licentia vel contraria voluntate constet. & quilibet bonę famę de Salucijs inde possit accusare: & credatur eius accusæ cum iuramento: & habeat tertiam partem banni.*

De

De officio Sindicorum libertatis circa exactionem scripturarum, cap. 54.

ITEM *statutum est, quòd Sindici libertatis teneantur quotienscunq; scuerint seu audiuerint clauarium seu notarium Seremß. D. Domini Nostri Regis, vel notarium iustitiæ accepisse, seu exegisse ab aliqua persona vndecunq; sit, aliquid vltra id, quod accipere debuerit, dicere & denunciare potestati: & etiam dicere, & denunciare in primo consilio, si dicti Clauarius & notarius ad accipiendum id, quod debuerint, excesserint. & hoc sindici iurent cum intrabunt officium Sindicatus; & potestas teneatur ipsos compellere ad tale iuramentum præstandum, & nihilominus Potestas teneatur vinculo iuramenti restitutionem fieri facere per ipsos clauarium siue notarium seu illum quem sibi constiterit aliquid extorsisse, omne id, quod fuerit plus debito extortum vltra formam statutorum Saluciarum. & de his credatur illi personæ, quæ sit bonæ vocis, conditionis & famę, quæ diceret cum iuramento illud plus dedisse: & de hoc compelli possint per potestatem, ac si essent habitatores Saluciarum; & insuper teneantur dicti Sindici, quandocumq; fuerint requisiti curare cum effectu, quòd dicti notarij seu clauarij capiant eorum solutiones iuxta taxam statutorum Saluciarum.*

De stantiatoribus eligendis, cap. 55.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur singulo trimestre, quando alij officiales eliguntur, eligi facere ad breuia in consilio duos stantiatores, qui habeant omnimodam potestatem taxandi & stantiandi carnes, vinum, panem, pisces, oleum, caseum, & butyrum: Et quòd nullus possit uendere prædictas res nisi prius facta per dictos stantiatores taxa, sub pœna amissionis rerum, applicandarum pro tertia parte fisco, pro tertia accusatori, & pro tertia stantiatoribus: quam quidem taxam tenebuntur facere singulo die Sabati, & quandocunq; fuerit necessarium: Nec possint dicti stantiatores dare licentiam alicui personæ vendendi dictas res vltra stantiam, sub pœna florenorum sexdecim pro quolibet, & vice qualibet. & si fraudem commiserint, ab officio repellantur, & cogantur ad solutionem dictæ pœne, omnium etiam damnorum, expensarum, & interesse. & teneburtur dicti venditores & reuenditores iuxtam stantiam prædictam res prædictas vendere & bancum tenere. & in casu contradictionis compellantur per Potestatem pœnis & bannis vltra amissionem rerum prædictarum.*

De interueniendo in consilio, cap. 56.

ITEM *statutum est, quòd quilibet electus de consilio Saluciarum teneatur interuenire cuilibet consilio fiendo in Salucijs pulsato vltimo signo campanæ magnæ dicti consilij, et horaindicanda per sonitum paruæ campanæ, sub pœna florenorum trium monetæ currentis, applicanda pro tertia parte fisco, pro*

tertia parte executori, & pro alia tertia parte communitati, exponenda in reparationibus domus communitatis, nisi haberent iustam causam excusationis, videlicet infirmitatis, aut absentiæ ante sonum primæ campanæ magnæ; quam summariè tenebuntur probare in subsequenti consilio coram Potestate.

Quòd nullus possit habere duo officia, ca. 57.

ITEM *statutum est, quòd aliquis de Salucijs non possit habere nisi vnum officium de officijs quæ dantur ad breuia, vel ad voces in consilio Saluciarum; nec possit etiam dum illud habuerit, aliud exercere; & qui contrafecerit, soluat bamnum pro qualibet vice florenorum duorum: & qui aliquod officium habuerit ad breuia, non possit habere illud de tribus mensibus Sequentibus, nec esse in eo locumtenens alterius: & si habuerit, non valeat quod faciet, nisi esset ad iustator, vel atterminator.*

De non substituendo officiales Communitatis, cap. 58.

ITEM *statutum est, quòd nemo officialis communis Saluciarum cuiuscũq; officij possit loco sui substituere alium in officio quod haberet, nisi casu necessitatis, vt puta absentia, vel Infirmitatis, vel similis casus, durante absentia vel infirmitate seu casu, de consensu tamen vel licentia Domini Potestatis, vel sindicorum Saluciarum. & vbi talis officialis in casibus necessitatis non substitueret, quòd eo casu Potestas & sindici possint alium substituere, quem voluerint. & valeant, quæ per talem substitutum facta fuerint, & durent vsq; in aduentum substituentis, seu quousq; habens officium possit commode in eo vacare.*

De Thesaurario Communitatis, cap. 59.

ITEM *statutum est, quòd in consilio Saluciarum debeat per consiliarios eligi aliqua persona de Salucijs, quę exerceat officium Thesaurarij communitatis Saluciarum, & qui tenebitur redditus omnes & credita communitatis exigere, debitaq; soluere prout ordinatum fuerit per consilium: & de exactis ex solutis in fine cuiuslibet anni rationem reddere, & reliquatum soluere. & tenebitur dictus Thesaurarius antequam recipiatur ad dictum officium idoneam præstare caùtionem collaudatam de adimplendis & obseruandis omnibus prędmissis, & iuxta capitulationẽ fiendã in deliberatione officij: ita tamen vt nõ possit in dicto officio Thesaurarij perseuerare vltra triennium, nisi aliter consilio visum fuerit.*

Quòd nulus consulat de danda recommuni, cap. 60.

ITEM *statutum est, quòd nullus audeat consulere de danda re communi, sub pęna nullitatis, nisi pro vtilitate publica.*

De

De propositis non faciẽdis contra statuta, c. 61.

ITEM *statutum est, quòd per potestatem vel sindicos communis & libertatis non possit in consilio proponi proposita de aliqua re, quę sit contra statuta Saluciarum.*

De capitulatoribus eligendis, cap. 62.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur singulis annis ante exitum regiminis sui, infra tres menses facere eligi capitulatores statutorum Saluciarum, & facere eis corrigere, & emandare, atq; renouare si opus fuerit statuta Saluciarum infra vnum mensem à die qua fuerint electi, & ipsa statuta exiberi & tradere facere Sereniß. Domino D. nostro Regi aut Illustrissimę curię Delphinali, infra dictum mensem: & facere taliter, quòd dicta statuta sint completa & effectualiter descripta in libro statutorum & legibili scriptura per mensem vnum ante finem sui regiminis, si inde fuerit requisitus per homines consilij, aut sindicos dicti communis Saluciarum.*

De propositis non colorandis, cap. 63.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Saluciarum seu eius Locumtenens non possint nec debeant aliquo modo colorare propositas; nec aliquem consulere super ipsis, nec etiam super partitis dandis, nihil etiam addere, uel minuere, nisi prout fuerit arrangatum, & conclusum in consilio.*

De propositis scribendis per Secretarium Communitatis, cap. 64.

ITEM *statutum est, quòd Secretarius Communitatis Salutiarum teneatur scribere in consilio Saluciarum omnes propositas fiendas per Sindicos communis, & omnia ordinamenta consilij Saluciarum.*

Quòd sedendo nullus possit arrangare, c. 65.

ITEM *statutum est, quòd nullus ex consiliarijs Saluciarum possit arrangando sedere, sed teneatur stare; Et nullus possit in consilio aliquid extra propositas proponere nisi de licentia dominorum Sindicorum communis & libertatis.*

Quòd nullus surgat in consilio nec loquatur dum alij arrangabunt, cap. 66.

ITEM *statutum est, quòd nullus audeat in consilio communitatis Saluciarum loqui nec surgere, dum aliquis loquetur vel arrangare cęperit, & qui semel arrangauerit super propositis, non debeat iterato surgere ad arrangandum, sub pœna Potestati arbitraria.*

De

De partito dando super qualibet pro posita, cap. 67.

ITEM *statutum est, quòd de vnaquaq; proposita re seu petitione fienda quomodocunq;, & ordinanda in consilio Saluciarum, debeat dari partitum ad tabulas albas, & rubeas, vbi consiliares essent discordes, aliter nõ; & teneatur Potestas antequã à consilio recedat legi facere & publicare reformationes factas super vnaquaque proposita, ita quòd omnes in consilio audire possint, aut intelligere; & quòd legendo Secretarius siet impedes: & proposita & ordinamenta consilij debeant scribi lingua materna.*

Quod petentes aliquid a consilio debeant exire, cap. 68.

ITEM *statutum est, quòd si aliquis de consilio, vel non, vndecunq; sit, petierit aliquid à cõsilio, vel habuerit interesse in dicta petitione, & generaliter super quacunq; proposita fienda, & re in consilio determinanda, teneatur exire à dicto consilio, & ad illud non reddire donec super tali proposita, re, vel petitione fuerit per consilium ordinatum. & ad id cogatur per Potestatem, sub pœnis: & nihilominus nõ valeat quod factum fuerit cõtra formã præsentis statuti: sed sit ipso iure nullius valoris.*

De ambasiatoribus communis, cap. 69,

ITEM *statutum est, quòd quilibet ambasiator communis Saluciarum, qui iuerit extra Ciuitatem pro beneficio communitatis, pro eius mercede & expensis habeat quod fuerit per consilium ordinatum singulo anno.*

De non contraueniendo libertatibus, cap. 70.

ITEM *statutum est, quòd nulla persona de Salucijs debeat contrauenire franchisijs seu libertatibus factis vniuersitati Saluciarum, vel bonis consuetudinibus vniuersitatis & hominum Saluciarum, & qui contrauenerit, soluat bamnum omni vice florenorum octo, & remoueatur ab omni priuilegio, & franchisia communis Saluciarum. & si aliqua alia persona faceret, diceret, vel operaretur causam, propter quam commune Saluciarum damnificaretur in aliquo in prædictis, vel aliquo prædictorum, soluat dictum bannum, & restituat communi damnum in duplum. & qui contrafecerit, ipsius bona sint vasta, & indefensa, ita quòd aliquis offendens in ipsis rebus, deinde non soluat bamnum nec emendam.*

Quòd

Quòd obligati pro communi debeant indemnes conseruari, cap. 71.

ITEM *statutum est, quòd, si aliquis de Salucijs vel ibi habitans se obligauerit pro communi Saluciarum ordine consilij, vel ex causa, quæ cedat in beneficium communitatis sine dolo fraude & simulatione, aut collusione, quòd Potestas teneantur ipsum taliter obligatum indemnem conseruari & relleuari facere per dictum Commune.*

De conseruandis ijs qui se exercent pro communi Saluciarum, cap. 72.

ITEM *statutum est, quòd si aliqua persona de Salucijs vel ibi habitans se exerceret in negotijs seu operibus communitatis vel in consilio Saluciarum aliquid proponeret seu arrangaret consulẽdo pro & super causis pertinentibus ad communitatem, & propterea aliquo modo procederetur & damnificaretur, quòd talis persona agere possit contra ipsam communitatem, & ipsa communitas teneatur ad indemnem releuandum, & conseruandum ac defendere talem personam: & ad hoc compellantur per potestatem administratores ipsius communitatis constito sibi de damno passo.*

De mercede operantium pro cõmuni cap. 73.

ITEM *statutum est, quòd quilibet qui fecerit pro communi Saluciarum, habeat salarium iuxta taxam fiendam per electos in consilio Saluciarum, & Potestas teneatur eligi facere per consilium taxatores, qui teneatur iurare in ipso consilio, & ad delationem domini Potestatis vel eius Locumtenentis, eorum taxam facere iustam & honestam in eorum conscientia.*

De non mingendo sub porticu communi, c. 74.

ITEM *statutum est, quòd qui repertus, conuictus, aut confessus fuerit mingendo, aut ventrem exonerando sub porticu domus communis, aut sub muris communis, aut corserijs murorum, soluat bamnum omni uice vnius floreni; qui verò fuerit repertus conuictus, vel confessus præmissa committens, vel commisisse super aliquo Cœmeterio alicuius Ecclesiæ, soluat bamnum omni uice florenorum duorum. & quilibet possit accusare, & ei credatur cum iuramento, & habeat tertiam partem banni.*

De non faciendo aliquod præstum, cap. 75.

ITEM *statutum est, quòd aliqua persona de Salucijs vel ibi habitans non debeat nec possit compelli per aliquem potestatem Saluciarum, nec per consilium ad faciendum aliquod ad prestum.*

De

De Regiſtro faciendo, cap. 76.

ITEM ſtatutum eſt, quòd poteſtas Saluciarum, quotiens fuerit neceſsarium & ordinatum per conſilium Saluciarum, teneatur eligi facere regiſtratores, & nouum regiſtrum fieri facere: & non poſsit aliqua poſſeſsio de regiſtro alcuius leuari niſi deſcribatnr in regiſtro alterius cauſam habentis; & talis mutatio regiſtri non poterit fieri, niſi vtraq; parte conſentiente, vel facta fide per eum qui acquiſiuerit per publica inſtrumenta de acquiſitione, quorum inſtrumentorum annus & dies deſcribetur in leuatione, ac nomen notarij, qui dicta inſtrumenta recepit.

De Exatoribus & taleis colligendis, cap. 77.

ITEM ſtatutum eſt, quòd collectores talearum tenetãur infra biennium a die ſibi factæ deliberationis dictarum talearum, illas exegiſſe & collegiſſe. & ſi intra dictum terminum non fecerint integralem exactionem, quòd ſoluant de ſuo proprio communitati id quod reſtabit ad exigendum terminis & temporibus in deliberatione conuentis: ita quòd lapſo biennio prædicto non poſsit vlterius quidquã ratione talearum à debitoribus exigere. & collectores talearum poſsint exigere taleas ab illo vel illis qui tenebunt meliorem poſſeſsionem, vel deteriorem, vel mediocrem ad ſui electionem in ſolidum, ſaluo ſoluenti ſuo recurſu contra quos expedierit & ſi fuerint plures heredes, poſsint conuenire vnum inſolidum quem maluerint, ſaluo recurſu vt ſupra. Collectores autem lapſis terminis conuentis poterunt compelli realiter & perſonaliter ad ſoluendum ad formam eorum ſubmiſsionis.

De taleis ſoluendis, cap. 78.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quælibet poſſeſsio exiſtens in poſſe Saluciarum ſit perpetuo obligata & aſtricta communi Saluciarum ad ſoluendum taleas, & alia quæcunq; onera imponenda per commune Saluciarum. Et ſi transferatur quoquomodo in aliam perſonam etiam priuilegiatã cuius uis conditionis, ſtatus, & qualitatis exiſtat, ſiue in aliquod corpus, collegium, Eccleſiam, capitulum & vniuerſitatem, teneantur poſſeſſores ad Solutionem dictarum talearum & onerum, perinde ac tenebatur ille cuius erat dicta poſſeſsio, non obſtante quacunq; immunitate, & priuilegio. Nec poſsit aliquis cõtra præſens ſtatutum obijcere, aut aliquo modo opponere ſub pæna ſolutionis dupli, damnorum & intereſſe. & nihilominus. ſiquis cõtra hoc ſtatutum aliquid allegaret & opponeret, non obſtantibus oppoſitionibus procedatur ad exequutionem, videlicet ſi poſſideatur ciue, prout cõtribuunt ciues: ſi verò poſſideatur ab extraneo, ſoluat prout in ſtatuto de extraneis loquente; Ita ut res aliquę immobiles in poſſe Saluciarum nunquam poſsint dari, vendi, legari, aut alio modo alienari, ſeu titulo transferri in aliquam perſonam ſeu perſonas, collegium, & vniuerſitatem, quæ non poſsit cogi ad ſoluendum debita, taleas, & alia onera communis, & vniuerſitatis Saluciarum. & ſi res aliqua immobilis exiſtens in poſſe Saluciarum data

data, legata, vendita, ſeu de ipſa heredis inſtitutio, vel alio modo alienatio facta fuerit non valeat ipſa alienatio, ipſo iure, & teſtamentum in quo legatum tale, vel alienatio facta fuerit, non valeat ipſo iure tale legatum, ſed reddatur res alienata, uel alio modo trãslata proximiori in gradu legantis; vel alienantis, niſi talis perſona ſeu collegiũ, cui fuerit res & poſſeſsio relicta, ſe ſubmittat ad ſolutionẽ talearum, & illas ſoluat, ac dicta ptędia regiſtret in regiſtro communi Saluciarum. & ſi aliqua perſona acquiſiuerit in futurum, vel in futurum acquiret aliquid in poſſe Saluciarum, unde tenentes conſueti ſunt ſeu erant ſoluere taleas, & alia onera ſubire, quòd acquirens inde ſoluere teneatur, & cogatur ad prędicta faciendum, & ſoluendum, & ipſas res teneatur ponere in regiſtro communitatis Saluciarum, & ſoluere taleas, & pro ipſis facere, & ſubire omnia onera quæ facere; & ſubire tenentur ceteri homines Saluciarum. & ſi non fecerit, res alienatę approprientur ipſo iure communi Saluciarum, & cadat in pęnam ſtatuti loquentis de his qui non regiſtrant. & de ipſis poſſeſsionibus, quilibet Sindicus de Salucijs, propria auctoritate, & ſine licentia alicuius magiſtratus poſsit & debeat nomine communis ingredi poſseſsionem corporalem, & eam detinere libere & impunè: ita vt omnes & ſingulę res immobiles ſitę & exiſtentes in diſtrictu & poſſe ac territorio Saluciarum de cetero cenſeantur, & ſint tributariæ, quantum ad onera talearum ſiue collectarum imponenda rum in Salucijs, ipſi communi Saluciarum; Et quòd ipſę collectę ſiue taleæ imponędę, de cetero cenſeantur, & ſint tributa ipſarum rerum & ſingularum pro rata; Et quòd ipſæ taleæ impoſitę & imponendę tamq; per præſens ſtatutum introductæ, cenſeantur & ſint munera ordinaria; ita tamen, & taliter quòd non poſsint alienari de cetero aliquę res ſine tributo talearum debito per hoc præſens ſtatutum; & ſint dicta bona immobilia hipothecata, & obligata, pro taleis & oneribus prędictis perpetuò imponendis & impoſitis per ipſum commune ſeu maius conſilium ipſius loci vel deputandos ab eo, ita & taliter, quòd ipſa communitas perpetuum ius habeat, & regreſſum pro ipſis taleis & oneribus in dictis bonis immobilibus: ita quòd ipſa bona ex nunc & in perpetuum, ac in futurum ſint affecta & obnoxia ad ſolutionem dictarum talearum & onerum, ac ſupportationem, non obſtante, quòd per interualla tempora imponerentur, aut impoſita, vel impoſitæ eſsent, ita quòd cenſualia, & emphiteotica, tributaria, & quicquid melius eſſe poterunt, & poſſunt in fauorem dictæ communitatis ſint & intelligantur, ità & taliter, quòd ſi aliquod dubium emengeret in præmiſsis, quòd ſemper interpretatio & declaratio fiat in fauorem dictæ communitatis; & ſic intelligantur ab inde in antea in præſenti, & in prętęrito; Salua tamen & excepta in præmiſsis neceſſaria & legitima exemptione.

Quòd poſſeſsiones locatæ ſeu aliter conceſſæ teneantur ſoluere taleas, cap. 79.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi aliqua perſona locauerit, dederit vendiderit, ſeu ad colendum conceſserit vel ad fictum, aliquam poſſeſsionem, ſeu quouis titulo fuerit in alium translata aliqua poſsèsio poſita in finibus Salucia

rum, quòd persona cui predicta possessio fuerit locata, donata, vendita, concessa, vel aliquo modo in eum trãslata, aut ad fictum seu partitam remissa, cuiuscunq; conditionis sit ipsa possessio, teneatur pro ipsa possessione subire & soluere omnia & quæcunq; onera imponenda per communitatem Saluciarum, quemadmodum facere tenebatur ille qui ipsam possessionem vel aliquam prædictarum tenebat, ita & taliter quòd tenentes possessiones ipsarum personarum eas colendo vel ad fictum, seu alio quoquo modo, cogi possint ad integram solutionem talearum, videlicet vnus insolidum, aut plures, si sint plures colentes, ad electionem collectoris pro tota talea & registro, saluo recursu ei, contra quem fuerit facta exequutio, agendi aduersus quos expedierit, non obstantibus quibuscunq; oppositionibus, & citra illorum præiudicium pro eius indemnitate contra dominum,

De recusantibus soluere taleas, cap. 80.

ITEM statutum est, quòd facta impositione taleæ per commune Saluciarũ, teneatur exactor cui fuerit dicta talea deliberata, ante aliquam exactionem, die & hora fori, sub porticu communis, & die Dominico subsequenti ante Ecclesiam Cathedralem Saluciarum, in exitu magnæ missæ proclamari facere de mandato domini Potestatis impositam fuisse taleam, & adquam rationem fuerit imposita pro singula libra registri, & cui fuerit deliberata, & quòd possidentes prædia & possessiones in finibus Saluciarum debeant soluere taleam infra dies octo post factum dictum proclama: quo termino lapso poterit dictus exactor ad exequutionem procedere absq; alia particulari iniunctione, & licentia iudiciali: & sufficiat dictum proclama uoce præconis factum tam contra ciues Saluciarum quàm ibi habitantes & degentes extra ciuitatem & fines, Et qui soluere recusauerit, ultra exequutionem quam poterit facere dictus exactor ad sui electionem modo præmisso, bona ipsius non defendantur, nec custodiantur per camparios, nec aliqua emenda inde fiat eis de aliquo damno illato eis per aliquem in dictis possessionibus: Et si quis fecerit eis damnum, nullum bamnum soluat: Et custodes vel Camparij non cogantur ad emendandam aliquod damnum eis factum, nec debeant aliquem accusare qui offendat in rebus ipsarum personarum nolentium soluere taleas; & accusę aliter factæ non valeant donec steterint ad soluendum.

De forensibus & extraneis, cap. 81.

ITEM statutum est, quòd omnis persona extranea etiã si habeat bona in posse Saluciarum, & illorum prętextu onera soluat, non possit gaudere priuilegijs, statutis, libertatibus franchisijs & immunitatibus, quibus gaudent homines Saluciarum.

De forensibus in Ciuitate habitantibus, ca. 82.

ITEM statutum est, quòd omnis persona extranea, quæ venerit ad habitandum in Ciuitate Saluciarum ad locum focum & catenam, possit uti gaudereq;

dereq; statutis, quibus gaudent homines Saluciarum quamdiu habitauerit, excepto in frascripto & subsequenti, etiam si onera tam realia quàm personalia sustinuerit.

De forensibus habitantibus in Ciuitate & territorio, cap. 83.

ITEM statutum est, quòd quelibet persona extranea, quæ uenerit ad habitandum in ciuitate Saluciarum, nunquàm possit dici ciuis, etiam si habitauerit semper per quantacunq; tempora in dicta ciuitate, vel posse, ad locum focum, & catenam & omnia onera sustinuerit, sed semper reputetur extranea, & teneatur singulo anno soluere taleam forensium in festo Sancti Martini ad rationem vnius grossi pro quolibet scuto de florenis octo valoris bonorum, quæ possidet in agro Saluciarum, nisi fuerit recepta in ciuem per consilium Saluciarum ad tabulas albas & rubeas iuxta solitum, & ad formam ordinamentorum communitatis Saluciarum.

De ciuibus receptis alibi habitantibus, cap. 84.

ITEM statutum est, quòd recepti in ciues Saluciarum per consilium Saluciarum, recedentes a dicta Ciuitate, & territorio, & alibi habitantes per annos quinq; continuos, priuilegium Ciuitatis amittant, & pro extraneis omnino reputentur.

TERTIA COLLATIO
DE VIIS ET AQVIS.

De massarijs eligendis, cap. 85.

ITEM statutum est, quòd vię finis Saluciarum vbicunq; existentes tam montis, quàm planiciei, perseruentur, quæ sumptuose in communi fuerunt compositę; & quòd potestas Saluciarum in consilio hominum dicti loci annuatim teneatur eligi facere in introitu mensis Aprilis su per quacunq; via dictorum finium, quæ sit via publica, vnum probum virum pro singula, qui sit massarius pro vno anno completo: qui maßarij sic electi exerceant eorum officium secundum modum infrascriptum. Primo itaq; teneãtur incontinenti postquam eis fuerint notificatum per sindicos communis, quòd fuerunt electi massarij, accedere ad illam viam cuius fuerint constituti massarij, & cum fuerint in psa via, teneantur reuidere quid sit necesse fieri in ipsis vijs: & secundum quòd viderint expedire fiendum, teneantur notificari facere per decanum communis personis habentibus possessiones iuxta ipsam viam, in illa parte vbi via

indiget reparatione ab vtraq; parte; uiæ, & eis prȩcipi facere quatenus infra octo dies quilibet feciſſe debeat reparationẽ ordinatã per dictos maſſarios; quod ſi nõ fece rint, incurrant pȩnam quilibet ipſorum florenorum duorum pro primo prȩcepto: & nihilominus compellantur dictam reparationem facere infra octo dies ſub pœna flore norum qu atuor: quam pœnam, ſi non fecerint, incurrant pro ſingulo. Si vero eſſent aliquę perſonę ita negligentes, quę fuiſſent accuſatæ de pœnis ſupraſcriptis, & ad huc nõ repararẽt, quòd eo caſu dicti maſſarij poſint & debeant ipſas vias reparari fa cere ſumptibus talium perſonarum negligentium, ad quos ſumptus ipſæ perſonę ne gligentes, inſtantibus maſſarijs, compellantur ad ſoluendum per poteſtatem per arre ſtationem perſonæ, & pignorum leuationem & expeditionem illicò fiendam publice cum ſubhaſtatione. Prȩterea teneatur dicti maſſarij, ſi eſſet aliqua perſona quæ eis faceret querelam quòd non poſſet ſine auxilio reparare, dari facere auxilium neceſſa rium viſa prius ipſa neceſſitate per ipſos maſſarios: & hoc per alios vicinos dicti conquerentis, ſi eis videbitur: & teneãtur vicini quibus fuerint præceptum parte maſſarij, dictum auxilium dare eorũ vicino; & qui dictum auxilium non dederit, in curr at pœnam pro ſingulo florenorum duorum: & nihilominus compellatur dictum au xilium prȩbere fortioribus pœnis vt ſupra; & ſi fuerint inobedientes & negligen tes, poſſint & debeant dicti maſſarij illud fieri facere expenſis dictorum negligen tium, qui compellantur ipſos ſumptus ſoluere modo ſupraſcripto; Saluo ſi accideret caſus, quòd pluuia vel alia cauſa impedirent, quòd infra dictos terminos non poſſent vię reparari: quo caſu maſſarius poſſit terminum (ſi ei videbitur) prorogare. & de præmiſis nemo poſſit accuſare, niſi maſſarij, qui habeant pro ſingulo eorum pro ſuo ſalario eorum maßariæ in fine anni florenos quatuor, ſi modum ſupraſcriptum ſer uauerint; aliàs non. & ſi dicti maſſarij eſſent negligentes, ita quòd ipſorum defe ctu dictę viæ non repararentur, incurrant pœnam florenorum duorum pro ſingu lo, qualibet vice.

Maſſarij

De vijs, cap. 86.

ITEM ſtatutum eſt, quòd poteſtas Saluciarum qui nunc eſt, & pro tempo ribus fuerit, teneatur refici facere omnes vias per burgos & fines Salu ciarum. & ſi quis tenet uel acceperit de ipſis vijs, quòd cogat eum pœnis et bannis ad relaxandum & reſtituendum infra quindecim dies: poſt quam ei fue rit denũciatum, alioquin non obſeruans ſoluat bamnum florenorum octo pro qualibet vice. & ſemper teneatur Poteſtas facere relaxari & expediri ipſas vias, ſaluis ædificijs, & caſiamentis factis ſuper vijs, ſuper quibus ſex homines in conſilio eli gantur, qui prouideant ſuper illis ſecundum quod eis uidebitur, quorum prouiſionem, & ordinationem teneatur Poteſtas obſeruari facere. Et ſemper caueat Poteſtas, ne quis ſuo tempore claudat uel aliquod impedimentum faciat in vijs communibus: ita tamen quòd nemini fiat iuiuria vel violentia: & quòd porticus quæ non ſolent eſſe clauſę, ab inde in antea claudi non poſſint, ſub pœna pro qualibet perſona contra faciente florenorum ſex decim, & nihilominus aperire teneantur.

De

De vijs expediendis & terminandis per aira lia Saluciarum, cap. 87.

ITEM ſtatutum eſt, quòd Poteſtas teneatur expediri facere omnes vias per airalia Saluciarum prout eſt deſignatum, & termini ſunt poſiti per homines ad hoc electos: qui homines electi hoc feciſſe teneantur, & comple uiſſe infra vnum menſem poſtquàm per Poteſtatem eis fuerit prȩceptum. & vbi viæ non eſſent determinatæ, Poteſtas teneatur facere determinari quandocunq;. & ſemper poteſtas teneatur ipſas omnes reſtitui facere. & qui reſtituere noluerit, ſol uam bamnum florenorum duorum, & nihilominus ad reſtitutionem teneatur, & compellatur. & quòd nullus poſſit capere & colligere ac exportare lapides in vijs publicis, tam in ciuitate quàm extra.

De vijs Plateæ & aliorum locorum ape riendis, cap. 88.

ITEM ſtatutum eſt, quòd vię aperiantur per plateam Saluciaũ, & deter minentur, & alibi per totam ciuitatem Saluciarum intra muros & per airalia extra muros exiſtentia, & ſtare debeant apertæ per banca becario rum; & caligariorum, & per alia officia; & qui eas clauſerit, ſoluat omni vice bam num florenorum duorum. & ſemper ſtent apertę. & Poteſtas faciat eas tenere aper tas; & ad hoc ſi expedierit, probi homines eligantur, qui eas disbonient & attermi nent; & qui vltra terminos fuerit trangreſſus, ſoluat prædictum bamnũ, & nihilo minus reſtituat occupatum: & etiam qui recuſauerit expedire infra octo dies id quod occupaſſet, incurrat dictam pœnam: & vicini propinquiores teneantur accuſa re quos viderint contra facere; Quod ſi non fecerint, ſoluant bamnum floreni vnius, ſaluis coperturis factis, quæ non impediunt equites ſubter tranſire volentes. & de prædictis quilibet bonę famæ poſſit accuſare, & habeant tertiam partem bamni.

Quòd perſonę ſtantes in Salucijs teneant vias mundas ante ſuas domos, cap. 89.

ITEM ſtatutum eſt, quòd omnes & ſiugulę perſonæ ſtantes intra muros Saluciarum teneantur & debeant ante domum ſuam & introitum ſuæ domus vſq; ad mediet atem viæ, ipſam viam tenere bene aptam, & ex pediam prout commodè fieri peterit: ita quòd per ipſam commode iri poſſit. & qui congregauerit terram, vel fimum, aut aliam materiam ante ſuam domum deterioran do acceſſum viæ, & etiam qui non tenuerit uiam bene aptam, ſoluat bamnum omni vice floreni vnius; & quòd quilibet habens domum in platea Saluciarum à domo Ioannini de Filia & Cęſaris Rochæ, teneantur ante ipſam eius domum vſq; ad me-

dium

dium plateæ, benè excopare, & rumenta tollere: ita vt tota platea sit nitida usq; ad castrum: & hoc duntaxat in diebus solemnibus, & sub eadem pœna.

De fossatis Saluciarum expediendis, cap. 90.

ITEM *statutum est, quòd fossata muri Saluciarum circum circa expedian tur: ita quòd nemo possit in eis aliquid facere, & si quis in ipsis fossatis seu ripis aliquid fecerit, illud teneatur auferre ad omnem primam iussio nem, sub pœna florenorum quatuor, nisi id faceret sub beneplacito consilij Saluciarum. Et nemo audeat extrahere lapides de ripis fossatorum & à moenibus, minusq; terram unde murus possit lædi; nec ligonizare seu foueam facere per spatium vniustra bucchi versus murum, sub dicta pœna, & refectionis riparum & muri de proprio.*

De fossatis, cap. 91.

ITEM *statutum est, quòd fossata vetera semper sint cõmuni: nec modo aliquo uendi, nec alienari possint. & si in eis aliquid natum, vel plantatum fuerit, quòd possessores habentes ab vtraq; parte teneantur ipsum expedire, & reficere infra vnum mensem; & dimittantur omnia. & Potestas hoc fieri faciat expresse infra vnum mensem post introitum sui regiminis.*

De non proijciendo aliquid in viã publicã, c. 92.

ITEM *statutum est, quòd nulla persona audeat nec præsumat aliquo modo vel ingenio proijcere vel proijci facere, seu habere vel tenere in tota platea Saluciarum seu aliqua via publica Ciuitatis Saluciarum, vel in aliqua parte alicuius porticus Saluciarum, vel etiam in vijs publicis existentibus intra muros, vel iuxta aliquam ipsarum viarum aliquod stercus, sanguinem, capillos, vel aliquem fimum, vel porcile, nec suis porcis dare ad comedendum, vel arbiũ tenere, nec ibi aliquã aliam turpitudinẽ, sub pœna florenorũ duorũ pro quolibet et qualibet vice. & quilibet possit accusare, & credatur eius accusæ; & accusator habeat tertiã partẽ bamni; & nihilominus Potestas teneatur facere auferri, & tolli per cum, qui talia fecisset vel posuisset, infra octo dies. & idem bamnum soluant calligarij, seu alij ponentes ruscatium affaiti in vijs publicis dictæ ciuitatis Saluciarum.*

Via

De cloacis iuxta viam publicam non con struendis, cap. 93.

ITEM *statutum est, quòd nulla persona de cetero debeat nec audeat sub aliquo ingenio facere fieri, construi, vel edificari aliquam priuatam seu latrinam, prope viam aliquam publicam, vel in aliqua parte seu loco, apud viam, nec alibi, ita quòd stercora, vel aliquid aliud cadens, seu quod proijci posset per ipsam latrinam, videri non possit aliquo modo de via per aliquam personam, sub pœna & bamno florenorum quatuor pro qualibet vice, qua fuerit accusata. & quilibet*

quilibet de Salucijs possit accusare: & eius accusę credatur, nisi contrarium probetur per duos probos eorum iuramento: & vbi sic uerum esset. Potestas vinculo iuramenti teneatur ipsam cloacam aliquã destrui facere, & auferre in totum, & nunquam in ipsõ loco, in quo erat dicta cloaca, aliquam fieri permittat. Et si qua persona aliquam priuatam habet, vel possidet, de qua stercora siue fęces pertranseuntes per viam videre possint, quòd dominus, seu possessor dictæ domus debeat & teneatur infra octo dies; postquam inde fuerit requisitus ab aliqua persona, dictam cloacam aufere, & penitus destruere, ità quòd videri non possit; vel talem murum de bona calce sic facere suis expensis infra dictos octo dies, quòd turpitudo, seu stercora amplius videri non possint de via aliqua per transeuntes. Quod si non fecerit, postquam ei prȩceptum fuerit, soluat bamnum florenorum quatuor: Eo saluo quòd bamnum exigi non possit ab aliquo nisi prius esset sibi denuntiatum. & vię intelligãtur tam publicæ quàm priuatæ, seu vicinales.

De cloacis claudendis, cap. 94.

ITEM *statutum est, quòd omnes persone habentes cloacas domorum vicinas alijs vicinis, seu personis in ciuitate Saluciarum intra muros, teneantur illas claudere sumptibus cõmunibus uicinorum ad quos tangit, si fuerit de voluntate alterius eorum: & hoc de muro vel de sepibus, Secundum, quòd exigit locus vbi fieri debet, videlicet de muro, si domus sit de muro; ita & taliter quòd per illam clocam alię persone, aut animalia vicinorum aliorum intrare non possint; Et qui claudere noluerit vt supra infra octo dies postquam fuerit requisitus, soluat bamnum florenorum octo: & nihilominus teneatur claudere. & nemo possit tenere porcos seu porcilia in cloacis inter se & consortem, sub pœna prædicta pro quolibet & qualibet vice, & quilibet bonæ famæ possit accusarę: & credatur illi cum suo iuramento, & habeat tertiam partem bamni.*

De barbacanis fossatorum nõ capiendis, c. 95.

ITEM *statutum est, quòd siquis ceperit aliquid de barbacanis quæ sint circumcirca ciuitatem Saluciarum, & fossatum barbacanarum, quòd teneatur peuitus illud expedire eommuni infra vnum mensem postquam fuerit præconizatum, nisi ostendat iustam causa propter quam non teneatur dimittere & expedire; & si non fecerit, soluat bamnum florenorum octo: & nihilominus relaxare teneatur, quod ceperit. & si quis dimittere, vel expedire noluerit, Potestas ad requisitionem sindicorum teneatur personaliter ire cum illis de consilio ad faciendum restitui id quod inde captum fuerit.*

De vijs montis & planiciei inter massarios eligendis, cap. 96.

ITEM *statutum est, quòd massarij, qui fuerint electi per consilium Saluciarum super facto viarum debeant procurare aptare, & aptari facere vias ipsas, & pontes, & plancas necessarias secundum modum infrascriptum;*

ptum; Primo quòd massarij burgi Sancti Martini teneantur aptare seu aptari facere viam Montatæ, viam Crucis, viam Bargiarum, & viam Pagni: & hoc facere teneantur cum omnibus vijs emergentibus ex ipsis per planum Saluciarum inter ipsas vias: & per montem Saluciarum aptari faciant viam nouam Sancti Nicolai, & viam Rianæ Gaudinæ vsque ad viam Pagni, cum appendentibus illis. Massarij verò burgi Mezani teneãtur aptare, & aptari facere viam Ceruignaschi, viam Gierbolæ, viam Colognæ, viam antiquam Scarnafixij, & viam Grangiæ, cum omnibus vijs appendentibus ipsis vijs. & per montem Saluciarum teneantur aptari facere viam Pairosæ, viam Sartæ, quæ est iuxta muros, iuxta ripam fossatorum, & viam Richepantiæ, & Sancti Laurentij, cum appendentibus ipsis vijs. Et quòd massarij burgi Valoriæ teneantur aptare, & aptari facere viam Liagnaschi, viam Faliceti, & viam Mantæ, cum appendentibus ipsis vijs. & per montem aptari faciant viam nouam Sanctę Catherinę, qua itur Mantam. & hoc facere teneãtur quotiens, & quomodocunq; fuerint requisiti; & Potestas vinculo iuramenti teneatur eos cogere, pœnis & bannis ad prædicta omnia faciendum, & complendum. Et quòd massarij teneantur ipsas uias infra terminum ordinatum per aliud statutum diligenter fecisse reaptari, sub pęna vnius floreni pro quolibet: & quilibet possit acccusare ipsos massarios, si fuerint negligentes. & accusator habeat tertiam partem bamni.

De claudendis Portis Saluciarum, cap. 97.

Item statutum est, quòd Potestas Saluciarũ qui nunc est, & pro tempore fuerit, teneatur infra vnum mensem post introitum sui regiminis facere fieri, seu reaptari, si expediens fuerit, clauaturas pusternarum, & Portarum Ciuitatis Saluciarum, & facere aptari portas, & pusternas prędictas, taliter quòd nullus possit transire, de subtus, & eligantur homines, qui claues portarum & pusternarum dictæ ciuitatis teneant, & custodiant, & qui ipsas claudant incontinenti post vltimum sonum campanæ & ipsas portas, & pusternas tenere clausas per totam noctem vsq; ad auroram, tempore pacis, & tempore guerræ vsq; ad claram diem, saluo quòd potestas teneatur dimittere vnam exportis ciuitatis Salutiarum incatenatam, vel taliter cum guichieto aperto, quòd gentes possint exire de nocte; de vno burgo ad aliud: Et quòd tenentes claues possint impune de sero aperire portas pro bubulcis, vsq; ad quartam horam noctis tempore pacis.

De foueis & crottis in vijs publicis non fiendis, cap. 98.

Item statutum est, quòd qui fecerit foueam vel crottam in vijs publicis in Ciuitate Saluciarũ, vel super communi intra dictam ciuitatem teneatur illam vel illud reaptare & implere infra octo dies postquam ei fuerit denuntiatum, alioquin soluat bannum floreni vnius, & cogatur implere foueam,

foueam, & si occasione dictæ foueę aliquo casu damnum alicui eueniret teneatur is qui foueam fecerit illud emendare, seu is qui eam fieri fecerit.

Quòd nemo ducat aquam per vias, cap. 99.

Item statutum est, quòd nemo ducat aquam per pascua communis, nec per vias, per quas fit iter, vnde ex tali aqua lędantur pascua seu vię, seu deteriorentur, sub pœna florenorum octo pro singula vice, & nihilominus Potestas & massarij semper teneantur eam aquam facere auferi; & fieri facere bealerias, & aquæductus sufficientes, ac pontes in locis solitis seu necessarijs & determinatis, & vias reparare, ac manutenere sumptibus ducentium aquam, taliter quòd commodè possit iri per vias; Et idem intelligatur de diuertentibus aquas quo quomodo per vias, ac de Scolaticijs pratorum. & quòd quilibet possit accusare, & habeat tertiam partem bamni.

Quòd cõsortes bealeriarum teneantur reficere bealerias & pontes, cap. 100.

Item statutum est, quòd omnes consortes, qui habuerint bealeriam communem, teneantur conferre ad faciendum pontes seu pontem, sibi iunctũ vel iunctos ad faciendum: & facere expensas in faciendo seu reficiendo bealeriam secundum quantitatem prędij, videlicet qui plus possidet, plus contribuat, & quilibet pro rata: Quod si facere neglexerint postquam eis fuerit denunciatum, quòd consortes, vel aliquis eorum non possint, nec debeant capere, seu capi facere aquam indicta bealeria donec contribuerint in expensis pro rata, suarum possessionum, sub pœna pro qualibet vice florenorum quatuor, & totidem pro emenda manutenentibus. & quilibet inde possit accusare cum iuramento; & ei eredatur; & accusator habeat tertiam partem bamni: & de denuntiatione facta per consortes alteri consorti, quòd deberet contribuere, credatur consortibus ipsis denunciantibus cum iuramento. & si contingeret aliquas personas facere de nouo vel reficere super communi aliquam bealeriam, quòd eo casu nulla alia persona, quę non contribuisset seu construxisset in expensis, possit nec debeat ex ea bealeria capere seu educere aquam, donec contribuerit & soluerit partem expensarum factarum iuxta quantitatem & qualitatem suæ possessionis; Et qui aliter aquam acceperit soluat, pro quolibet florenos duos;

De pontibus manutendis, cap. 101.

Item statutum est, quòd illi qui tenebuntur facere pontes, illos bonos & integros facere teneantur, & manutenere. & si non obseruauerint, soluant bannum omni vice florenorum quatuor. & Potestas teneatur inquiri facere de tribus in tribus mensibus. Et si quis duxerit aquam per viam publicam, teneantur eam ducere ab vno latere ueę, ita quòd nõ noceat viæ: alioquin contrafaciens soluat bannum omni vice floreni vnius: & quòd quilibet possit accusare, & habeat tertiam partem bamni.

De planchis & pontibus, cap. 102.

ITEM *statutum est, quòd massarij viarum in consilio electi teneantur expensis communitatis manutenere pontes & plancas necessarias super Bedale communis, Riuotorto, Riuosicco, & bealeria Marchisia, & vbi fuerit opus; Et si essent aliquæ personæ, quæ à dictis riuerijs aliquas caperent bealerias, quas conducerent ad eorũ voluntatem, super quibus fierent pontes seu planchę, quòd eo casu tales personæ dictas plancas manutenere teneantur earum expensis. & qui contrafecerit, soluat pœnam pro quolibet & qualibet vice florenorũ duorũ.*

De non nasando canapum in fossatis & ciuitatis, cap. 103.

fossata

ITEM *statutum est, quòd nulla persona debeat nasare canapum in fossatis Ciuitatis Saluciarum; & qui contrafecerit, soluat bamnum omni vice florenorum quatuor. & idem intelligatur, quòd canapum aliquod non possit nasari intra airalia, sub pęna prædicta. & quilibet possit accusare, & habeat terciam partem bamni.*

De atterminando fines Saluciarum, cap. 104.

ITEM *statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur toto posse diboiriari facere fines & territorium Saluciarum à finibus Reuelli, Brondelli, Pagni, Castellarij, Mantæ, Liagnasci, & Scarnafixij, & ab alijs villis circumstantibus, & ponit terminos inter fines Saluciarum & fines dictorum locorum: & hoc fecisse & compleuisse teneatur Potestas vbi, & quãdocunq; necesse fuerit infra duos menses post introitum sui regiminis, videlicet vbi non appareret fuisse hactenus atterminatum: & eligi facere teneatur dictus Potestas, quando massarij viarum eliguntur, sex homines, videlicet de quolibet burgo duos, qui habeant visitare singulo trimestri, & quandocunq; fuerit necęssarium, prędictos terminos viarum, & finium, & inde referre.*

De eligendis duobus circa aquas, cap. 105.

ITEM *statutum est, quòd omni anno in principio cniuslibet anni, quando mutatur consilium Saluciarum, teneatur ipsum consilium eligere & deputare duos probos viros, qui habeant omnimodã auctoritatem accedendi ad alueum bealeriæ communis Saluciarum, & bealerię Marchisiæ, & ibi videndi frangentes ripas, & aquas diuertentes, illosq; accusandi, & grauiter punire faciendi ac ruptum alueum adaptari faciendi de communi Saluciarum, & in præmissis omnia faciendi, quæ fuerint necęssaria, & opportuna.*

De

De reparãdo alueo bedalis Saluciarum, c. 106.

ITEM *statutum est, quòd ad instantiam molendinariorum Saluciarum siue alicuius eorum, Potestas teneatur omni anno de mense Augusti, per commune Saluciarum facere reaptare bealeriam molendinorum, à via Sãctæ Catherinæ infra usq; ad bealeriam eorum de Alphatis, taliter quòd aqua bedalis surgere non possit inferius per aliquam partem in vijs publicis. & tenebuntur molinarij ad Ripam ruptam facere unum excusalium cum bonis postibus, & colum nis: ita quòd alueus bedalis sit ita profundus, quòd tanta aqua labatur ad molendina, quòd possint molere continue. Quòd si dicti molinarij non requisiuerint Potesta tem, quòd commune accedat: quòd ipsi molinarij eorum sumptibus teneantur prædicta facere quandocunq; per aliquem de Salucijs fuerint requisiti: & postea semper dicti molinarij teneantur dictam bealeriam manutenere eo modo & forma, quibus per commune facta fuerit, sub pœna florenorum octo; & quilibet possit accusare; & credatur accusatori cum iuramento; & accusator habeat tertiam partem bamni. & si quis fregerit clausuram per transuersum dicti bedalis à dicto loco infra, taliter, quòd molendina cessauerint molere, incurrat pœnam florenorum octo, & teneatur reficere quod fuerit ruptum suis sumptibus.*

De latitudine bealeriæ molendinorum, cap. 107.

ITEM *statutum est, quòd bealeria communis Saluciarum, per quam ducitur aqua ad molendina Saluciarum, sit & esse debeat perpetuo prout hactenus fuit, ab initio bealeriæ usq; ad Ripam ruptam pedibus triginta, & ab inde infra vsq; ad Sanctum Martinum pedibus decem. & intelligatur latitudo interripagium, & alueum, siue initium à Ripa rupta supra; & ab inde infra sit iacium bealeriæ pedibus decem.*

De bealeria Marchisia, cap. 108.

ITEM *statutum est, quòd liceat vnicuiq; de Salucijs vel ibi habitanti, aquã caperein bealeria Marchisia seu Gerbolæ Saluciarum, & ipsa aqua vti licitè & impunè, sicut antiquitus consuetum est, iuxta conuentiones factas cum dominis Mantæ.*

De aqua communis Saluciarum non diuertenda, cap. 109.

ITEM *statutũm est, quòd si quis extraneus diuertat aquam à bedale Saluciarum frangendo ripam in aliqua parte, vel aliquod impedimentum in alueo ponendo, per quod aqua diuertatur, incurrat pęnam florenorum vigintiquinque pro quolibet, & vice qualibet. & teneatur ad reparationem aluei facti. & idem intelligatur de eo in cuius possessione aqua dicti bedalis fuerit reperta, vt*

ſtatim inuenta dicta aqua poſsit accuſari: Et ſupradicta intelligantur etiam de diuertentibus aquam à bealeria Marchiſia, & de ijs in quorum prædijs fuerit dicta aqua bealeriæ Marchiſiæ reperta.

De aqua diuidenda, cap. 110.

ITEM ſtatutum eſt, quòd Poteſtas Saluciarum teneatur ſingulis annis quando fuerit requiſitus à conſilio, facere eligi in conſilio Saluciarum de quolibet burgo vnum hominem, qui tres habeant plenum poſse aſſortandi aquam quarumcunq; bealeriarum, pratorum exiſtentium in finibus Saluciarum inter perſonas habentes ipſa prata & poſſeſsiones in finibus Saluciarum, ſecundũ quòd illis videbitur fore iuſtum. Et id quod fecerint, & aſſortauerint eorum iuramẽto, valeat, & teneat, ac ſi totum conſilium feciſſet; & poſsint dicti aſſortatores imponere pœnas, & bamna, cum auctoritate domini Poteſtatis ad eorum voluntatem venientibus contra ipſam aſſortationem. & ſiqua perſona contrafecerit ordinamentis dictorum electorum circa hoc factis, vel aquam alienam acceperit, vel in poſſeſsione alicuius aliena aqua fuerit reperta, ſoluat bamnum omni vice faciens prædicta flore norum duorum, & totidem pro emenda: & credatur cuilibet bonæ famæ de ipſa accuſa cum iuramento. & quòd ipſi aſſortatores teneantur eorum aſſortamentum referre notario communis Saluciarum: & quòd ipſe notarius ſcribere teneatur in libro communis, vt poſsit veritas ibi reperiri; vel fiant partibus publica inſtrumenta. qui aſſortatores habeant pro eorum labore quilibet eorum ab illis perſonis inter quas fecerint aſſortationem ſecundum taxam fiendam per Dominum Poteſtatem. & Poteſtas teneatur dare aſſortatores vnicuiq; ipſos requirenti ipſa die, vel in craſtinum, qua fuerint requiſiti: & Poteſtas eos cogat ad accedendum ad aſſortandum ſub pœna pro quolibet.

De preſijs bealeriarum, cap. 111.

ITEM ſtatutũ eſt, quòd quælibet perſona de Salucijs vel ibi habitans, cui data vel ordinata fuerit aliqua præſta ad faciendum & manutenendum per quasuis vias, & bealerias Saluciarum ſiue ſcolatoria, teneatur & debeat ipſam & ipſas manutenere, & aptare benè, & ſufficienter, taliter quòd defectu ipſius vel ipſarum aquanon lędat viam, quin per ipſam commodè iri poſsit ſub pœna pro quolibet, & vice qualibet fiorenorum duorum. & maſſarius poſsit accuſare & habeat tertiam partem bamni, & non alius. (t) ſi maſſarius non accuſauerit, quòd contrafaciens ſoluat duplex bamnum. Et hoc capitulum non habeat locum tempore diluuij, quo tempore nemo poſsit ex cauſa prædicta accuſari. (t) ſi accuſa facta fuerit non valeat.

Quòd Poteſtas curet vt aqua bedalis abundanter fluat, cap. 112.

ITEM ſtatutum eſt, quòd Poteſtas Saluciarum qui nunc eſt, & pro temporibus fuerit; faciat, & curet cum effectu, & ad hoc ſit expreſsè aſtrictus, quòd

quòd aqua bealeriæ communis Saluciarum, & molendinorum, ac bealeriæ Marchiſię de Verrayta per fines Coſtigliolarum, Villęnouetæ, Verzolij, & Mantæ, ſicut eſt alueus dicti bedalis communis Saluciarum vſq; in flumen Veraitæ perpetuo deſignatus per dictos fines, veniat & labatur toto tempore anni, vſq; ad Ciuitatem Saluciarum, in tanta quantitate quòd molendina inde poſsint ſufficienter molere: & poſsit pro alijs negotijs finium Saluciarum ſatisfacere. & ſupplere & etiam ipſe Poteſtas poſsit ſingulo menſe, & quando fuerit neceſsarium, ire per dictam bealeriam cum deputatis per communitatem, & videre alueum bedalis Saluciarum, & ſi inuenerit frangentes ipſam bealeriam vel diuertentes aquam, punire, ſi fuerint tamen accuſati, inuenti, vel aliqua in eorum prædijs reperta. Quòd ſi illos non inuenerit in ipſo actu, teneatur mandare Domino vel iuſdicenti cuius iuriſdictioni ſubeſt delinquens, quòd compellat eum ad ſoluendum bamnum contra frangentes & diuertentes aquã per ſtatuta impoſitum. Quòd ſi rector ſiue Iudex fuerit negligens, liceat poteſtati Saluciarum, & expreſsè teneatur capere de bonis dicti delinquentis, ſi inuenerit in Salucijs, vel eum detineri facere, & vbi non poſsit capi, nec habeat bona, poſsit Poteſtas detinere vnam vel plures perſonas locieius cui damnum dederit donec fuerit ſolutum bamnum: Et poſsit Poteſtas Saluciarum repertos frangentes dictam bealeriam, & diuertentes aquarum punire, etiam quòd non eſſent de iuriſdictione Poteſtatis Saluciarum, cuius iuriſdictioni ſubmittantur ipſo facto, ad hoc vt aqua continuè labatur, & veniat abundanter. Et pariter ipſo Poteſtas tenebitur mandare Dominis vel rectoribus locorum prædictorum vt prohibeant, ne aliquis ſubditus eorum iuriſdictioni aquam dicti bedalis audeat capere, uel diuertere à loco cõſueto, ſub graui pœna. Et idem obſeruetur in eo in cuius prædio fuerit inuenta aqua, vt puniri poſsit modo prędmiſſo, & idem intelligatur de bealeria Marchiſia.

QVARTA COLLATIO
DE PONDERIBVS.

De Ponderibus, cap. 113.

ITEM ſtatutum eſt, quòd Poteſtas teneatur eligi facere in conſilio, quãdo officiales eliguntur, duos maſſarios ad adiuſtandum & ſignandum pondera & menſuras, videlicet ſextarium vini, heminam grani, heminam ſalis, mediam heminam, quartaronum, medium quartaronum, & cozolium, ſcandalia, ſtateras, menſuras olei, & vini & alia pondera groſſa, & minuta: Qui maſſarij & adiuſtatores pro eorum mercede poſſint capere prout per conſilium fuerit ordinatum.

De tenente pondus Saluciarum, cap. 114.

ITEM ſtatutum eſt, quòd qui tenuerit ſtateram, ſeu pondus communis, ſiue domini in Salucijs, non poſsit, nec debeat à rubo ſupra ſibimet ponderare res quas emet, aut vendet, vel quæ vendentur vel ementur per aliquem

quem loco eius: & qui contrafecerit, soluat bamnũ pro qualibet uice florenorũ duorum; & quòd non possit participare cũ aliquo emente uel uendẽte ipsas res, sub dicta pœna. & si tenuerit iniusta pondera, puniatur arbitrio Potestatis.

De ponderibus, cap. 115.

ITEM statutum est, quòd eligatur unus homo legalis, qui superstit ad recognoscendum pondera monetarum, & qui teneat expensis communis unum pondus seu pondera monetarum, ad quæ alia pondera recognoscantur: Et teneatur Potestas ipsa pondera inquiri facere singulis mensibus: & si penes aliquem inuentam fuerit aliquod pondus minoris ponderis uel maioris quàm fuerit illud, quod habuit à communi in custodia, puniatur arbitrio potestatis: & pondera seu balanciæ illæ iniustæ in platea comburantur. & simili modo in omnibus alijs mẽsuris & ponderibus fiat, & obseruetur: signatis signo Potestatis repertis iniustis.

De ponderibus inquirendis, cap. 116.

ITEM statutum est, quòd Potestas teneatur, si fuerit requisitus, de tribus in tribus mensibus uinculo iuramenti facere inquiri per dictos massarios, & familiares suos cum uno decano omnes mensuras, & omnia pondera, & stateras, quæ superius, uel inferius continentur, & tanto sepius, quantum ui sum fuerit; & etiam pondera monetarum. & si quas iniustas inuenerit alicui utenti ipsis mensuris non iustis, incurrat pœnam talis utens, in prima uice florenorum quinquaginta pro quolibet, & pro secunda pœnam falsi.

Quantum debeant esse pondera & mensurę Saluciarum, cap. 117.

ITEM statutum est, quòd omnia pondera Saluciarum sint & adiustentur semper ad iustum pondus Ianuense, excepto pondere quo ponderatur ferrum, ubi addatur cuilibet rubbo una libra, ita quòd libræ centum ferri ponderati reperiantur esse libricę centum & quatuor, & excepto pondere quo ponderatur canapum, ubi cuilibet rubbo addantur libre quatuor & uncie duę, ita quòd rubbũ canapi crudi reperiatur esse librarũ uiginti nouem & unciarũ duarũ ponderis Ianuensis. Mensuræ autem omnes adiustẽtur ad iustam mensuram Saluciarum, ita quòd Sextarium frumenti puri, & mensurati semper reperiatur ponderis rubborum quatuor, mensurando semper cum rasdoira quadrata, pręterquã brenum, castaneæ, nuces, & glandes, quæ mensurantur ad culmum. Mensura uerò uini puri mensurati sit pintarum quadragmta: & quęlibet pinta uini puri mensurati sit, & reperiatur in pondere librarum quinq; & unciarum septem cum dimidia. Mensura verò salis semper reperiatur ponderis rubborum trium, & librarum quindecim salis de Heres. Rasi uero omnes adiustentur ad mensuram Ast. Quęlibet autem tesia telæ grossæ semper sit rasorum duodecim, & quęlibet tesia telæ lini sit & semper reperiatur esse de rasis tredecim.

De

De mensuris tenendis, cap. 118

ITEM statutum est, quòd Sindici communis Saluciarum expensis dicti communis emant, & emere debeant infra unum mensem post introitum cuiuslibet potestatis unum ciberum ad mensurandum sextarium uini: quod facient adiustari: Et emere debeant duas heminas, unam ad mesurandum granum, & aliam ad mensurandum sal. & si dictæ mensurę per dictos sindicos emptæ non fuerint, incurrant pœnam quilibet ipsorum florenorum duorum. & pariter teneantur sindici fieri facere unam tesiam super una barra ad mẽsurandum telas, & firmetur in platea in uno loco eminenti, ubi sindicis uidebitur, & ibi continue stet: & ad illam tesiam mensurentur telæ, & non alibi, nisi aliter inter partes conueniretur. quas mensuras heminarum custodire debeant signatores, & recercatores mensurarum in eorum tempore, & finito eorum tempore, in continenti teneantur illas mensuras dare alijs adiustatoribus successoribus immediate in officio, sub pœna prædicta. & teneantur etiam Sindici emere unam pintam, tertijnum, & quartinum ad mensuram iustam. Et balanciæ, & alia pondera sint ad mensuram Ianue: Et mensura terrarum sit ad mensuram geomitriæ. Et quilibet emens pesum Saluciarum teneatur habere pondus subtile, siue de marco, & pondus canauazerium, ut pondere canauazerio semper canapum ponderetur; Et qui contrafecerit, soluat bamnum floreni unius pro qualibet uice; & quilibet possit accusare cum iuramento; & accusator habeat tertiam partem bamni.

De mensuris inquirendis, cap. 119.

ITEM statutum est, quòd illi qui fuerint electi ad perquirendum seu dandum pondera & mensuras, teneantur perquirere mensuras ipsas semel singulo mense, & accusare quemcunq; cui inuenerint mensuram iniustam, uel mensurantem ad mancam mensuram, uel ad iniustum pondus ponderantem. & credatur eorum accusis cum iuramento. & habeant tertiam partem bamni. & si ipsas mensuras non inquirent semel in quolibet mense, soluãt bamnum florenorum duorum pro quolibet, & uice qualibet. & quòd non incurrant pœnam periurij, sed sufficiat dicta pœna florenorum duorum pro quolibet. Qui recercatores habeant pro eorum labore secundum quòd taxatum fuerit per consilium.

De non mensurando ad mensuram non signatam, cap. 120.

ITEM statutum est, quòd nulla persona debeat mensurare granum uinum, sal, legumina, castaneas, nuces, uel alias quacunq; res, quæ uenduntur, uel contrahuntur, nisi ad iustam mensuram signatam signo Potestatis. & qui aliter fecerit, soluat bamnum pro quolibet & qualibet uice florenorum duorum. & quilibet possit accusare cum iuramento, & ei credatur, & habeat

tertiam

tertiam partem bamni, nisi accusatus iustam fecerit defensionem. & venditores salis teneantur habere rasdoiram rotondam, & radere mensuras salis videlicet heminę & mediæ heminę, & ad alias mensuras, sub pœna prædicta. Et si quis mensura uerit ad mensuram iustam & non signatam signo Potestatis, incurrat pœnam dicto rum florenorum duorum. & quòd teneantur dicti reuenditores garnire omnes mensuras eorum ferro uel aramo cum una grilenda vel arami circumcirca, & cum una barra ferri vel arami per medium videlicet eminam, mediam heminam, quartaronum, & medium quartaronum. Et teneantur omnes uenditores implere omnes mensuras suprascriptas, quandocunq; uendent, ex toto antequã radant rem mensuratã. & qui contrafecerit, incurrat pœnam florenorũ duorũ pro quolibet & qualibet uice.

De non vendendo pannum & alias res ad rasum mancum, cap. 121.

ITEM statutum est, quòd qui vendiderit pannum, telam, frustaneum, uelutum, cendallum, seu aliquid simile ad rasum mancum, seu non iustum, soluat vendens pro qualibet vice florenos vigintiquatuor, & emendet damnum in duplo. & si vendiderit, vel mensurauerit ad iustum, & non signatum signo Potestatis, soluat bamnum florenorum duorum pro qualibet vice. Et qui mensuram iustam non dederit vel fecerit, quamuis rasus sit iustus, soluat bamnum florenorum duorum pro qualibet vice, & emendet damnum in duplo, & emptor ac alius bonæ famæ possit accusare, & credatur cum iuramento: & habeat tertiam partem bamni; nisi iustam fecerit defensionem vendens.

De non vendendo ad tesiam mancam, c. 122.

ITEM statutum est, quòd qui vendiderit ad quartam mancam, seu ad tesiam vel stateram siue balancias, seu ad scandalium, vel aliud pondus iniustum, soluat bamnum florenorum octo pro quolibet, & qualibet vice. & quilibet bonæ famæ possit accusare cum iuramento, & ei credatur: & habeat tertiam partem bamni.

De mensurando vinum, cap. 123.

ITEM statutum est, quòd omnis persona, cuiuscunq; qualitatis & conditionis existens, quæ voluerit vendere vinum ad minutum, siue in Ciuitate, suburbijs, aut finibus, tam proprium quàm aliunde emptum, teneatur illud prius consignare stantiatoribus communis Saluciarum, & illud stantiari facere demumq; vendere tam hominibus Saluciarum, quàm extraneis pro pinta, media pinta, tertijno, & quartino, iuxta stantiam, & taxam factam per dictos stantiatores, & non vltra, sub pœna contenta in capitulis gabellæ. Et teneatur semper illud mensurare ad mensuras sibi signatas per adiustatores communis: & pariter proclamari facere pretium vini, si non fuerit hospes. Et nullus tabernarius, hospes vendens vinum ad minutum possit tenere in taberna nisi pintam, mediam pintam tertijnum, & quartinum, signatos & iustos. & in quolibet prædictorum casuum, quilibet bonæ vocis & famæ possit accusare, & habeat tertiam partem pœnę declaratæ in capitulis gabellæ: & credatur medio eius iuramento. & si penes aliquem hospitem, aut alium vendentem vinum ad minutum, fuerit inuenta aliqua mensura iniusta, aut manca, incurrat pœnam pro qualibet mensura florenorum sexdecim; & mensuræ prædictæ siue grani, siue vini, comburantur in platea Saluciarum. & tenebitur Potestas facere iurare omnes tabernarios non vendere vinum, nisi prout in capitulis gabellæ continetur.

De vino vendendo, cap. 124.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona vendens vinum ad minutũ posuerit ipsum vinum ad certum pretium stantiatum per stantiatores communis, & postea vendiderit ipsum vinum maiori pretio quàm ipsum posuerit, soluat bamnum omni vice florenorum quatuor, qua vendiderit ipsum vinum vltra formam stantiæ prædictæ.

QVINTA COLLATIO
DE CALIGARIIS AFFAITATORIBVS, Molinarijs, & alijs arterijs.

De iuramento magistrorum artium, c. 125.

ITEM statutum est, quòd Potestas Saluciarum vinculo iuramenti infra vnum mensem post introitum sui regimmis teneatur facere iurare omnes infrascriptos officiales, citando eos seriatim, videlicet becharios, venditores carnium salsarum, aromatarios, seu speciarios, & venditores casei, olei, & piscium salsorum, ac panatarios, vt eorum officia exerceant legaliter, & secundum formam statutorum infrascriptorum, ipsos tangentium; & etiam iurare faciat omnes tabernarios vtsupra continetur: Item & sartores, ferrarios, fornarios, molinarios, textores, & textrices, & quoscunque alios arterios, eorum officia exercere legaliter iuxta formam capitulorum infrascriptorum, & suprascriptorum. & quicunq; prædictorum venditorum recusauerit, vel neglexerit iurare vtsupra, soluat bamnum pro quolibet, & qualibet vice florenorum octo: & nihilominus iurare compellatur. Et qui recusauerit exercere suum officium iuxta formam capitulorum, prohibeatur ei per Potestatem ne illud officium exerceat per totum unũ annum. & si exercuerit post prohibitionem, soluat bamnum pro qualibet vice florenorum quinquaginta, & puniatur etiam quia non iurauit vtsupra.

De molinarijs, cap. 126.

ITEM statutum est, quòd molinarij molendinorum Saluciarum teneantur singulis diebus accedere vbi fuerit expediens, ad conducendam aquam ad molendina Saluciarum, exceptis diebus Dominicis & festiuis, & in casu

recusationis, aut negligentiæ cogantur per Potestatem pœnis & bamnis: & qui recu sauerit ire ad conducendam aquam, soluat omni uice bamnum florenorum duorum.

De molinarijs, cap. 127.

ITEM statutum est, quòd quilibet molinarius Saluciarum habeat ad suũ molendinum vnum solum cozolium, quod sit iustum, & signatum signo Potestatis existentis in regimine Saluciarum, ita quòd viginti quatuor cozolia faciant vnum Sextariũ, & non plus, & quòd molinarius capiat de quolibet Sextario cozolium vnum randatum, & medium cozolium pro singula emina: quam moturam molinarij capiant presente domino grani vel eius nuntio, si fuerint ad molendum. & aliter capere non possint, nisi hoc faciant de licentia domini grani. & quòd habeant rasoriam ligatam ad cozolium, & medium cozolium, de qua randent. & si quis contrafecerit, vel dictum modum non obseruauerit, soluat omni vice florenos duos. & si molinarius & famulus eius fraudem aliquam commiserint, teneantur restituere id de quo fraudem commiserint, in duplo: & si famulus committens non haberet vnde solueret, dominus teneatur pro famulo. & fraudem committens pro prima vice ponatur ad berlinam per horas tres, & pro secunda fustigetur. & Potestas Saluciarum teneatur singulo mense facere iurare omnes molinarios & eorum famulos operantes in molendinis in introitu sui regiminis, ut eorum officium teneantur legaliter exercere.

De molinarijs, cap. 128.

ITEM statutum est, quòd quilibet molinarius cum suum molendinum martelauerit, teneatur implere canaletam de suo farinacio donec sit æqualis, ita vt sit bene plena, sub pœna si contrauenerit florenorum quatuor pro qualibet vice. & credatur accusator, cum iuramento si, sit bonæ vocis & conditionis & famæ.

Quòd molinarij nihil capiant vltra solutionem ordinatam, cap. 129.

ITEM statutum est, quòd nulla persona, quæ aliquid molifecerit in molendinis Saluciarum, audeat aliquid dare molinario vltra solutionem supra in proximo statuto dari ordinatam, sub pœna pro qualibet vice florenorũ quatuor. & eandem pœnam incurrat molinarius capiens vltra eius solutionem aliquid siue pro motura, siue ex alia causa. & idem intelligatur de battitoribus canapis. Et quilibet bonæ vocis possit accusare: & habeat tertiam partem bamni.

De molendinis, cap. 130.

ITEM statutum est, quòd aliquis molinarius non possit esse molinarius nisi vnius tantum molendini, nec in alio molendino possit molere, nisi in eo, in quo inceperit molere: nec etiam possit in alijs participare, sub pœna florenorum octo pro qualibet vice: & nihilominus prohibeatur ne in alijs molat.

De

De ponderando granum, cap. 131.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona de Salucijs vel ibi habitans, quæ voluerit mittere granum suum ad molendum ad aliquod molendinorum prædictorum, possit si voluerit illud ponderare seu ponderari facere, & sibi credatur si dixerit & iurare voluerit, quòd ipsum granum seu farina dicti grani sit sibi diminuta seu minus reperta vltra libram vnam & vnciam vnam pro quolibet rubbo occasione molegij, seu moturæ: Quòd si contigerit, soluat molinarius bamnum pro qualibet vice florenorum duorum, & restituat illud quod cepit vltra librã & vnciam pro rubbo singulo, & sic pro rata, in duplo; Et quilibet de Salucijs, vel ibi habitans, inde possit accusare: & ei credatur cum iuramento de minoritate grani, & de accusa & habeat tertiam partem bamni.

De grano molendo, cap. 132.

ITEM statutum est, quòd quilibet molinarius teneatur molere incontinenti granum sibi portatum ad molendum, ita quòd illud non congreget, nisi iusta causa interueniente. & qui contrafecerit soluat bamnum vnius floreni pro qualibet vice. & quilibet possit accusare, & credatur ei cum iuramento, & habeat tertiam partem bamni. Et vlterius teneatur molinarius saluare, & custodire ipsum granum eius periculo; Et si captum esset aliquo modo granum alicuius in dicto molendino, uel exportatum, uel aliqua pars ipsius grani, teneatur molinarius incontinenti illud satisfacere. & credatur domino grani, uel illi, qui illud portauerit, cum iuramento.

De grano furtiue capto, cap. 133.

ITEM statutum est, quòd si quis molinarius fuerit conuictus, uel confessus furtiuè accepisse de grano alicuius ad suum molendinum portato, pro prima uice ponatur ad berlinam, & pro secunda fustigetur.

De grano deteriorato in molendinis, cap. 134.

ITEM statutum est, quòd si quis molinarius deteriorauerit granum alicuius de Salucijs, vel ibi habitantis, & cuiusuis personæ illud male molendo, teneatur emendare damnum dominograni, ad æstimationem æstimatorum communis,

Quòd granum in molendinis sit periculo molendinariorum, cap. 135.

ITEM statutum est, quòd granũ cuiuslibet speciei, quod fuerit ad molendina Saluciarum conductum causa molendi, sit & esse debeat in custodia, et sub periculo molinarij, & pariter farina post moturam per horas duodecim, post quam fuerit molita: Et si per aliquam personam fuerit dictum granum furto subtractum, aut farina intra dictum tempus, quòd ipse molinarius ipsum granum

& farinam incontinenti teneatur restituere domino grani uel farinæ,& Potestas incontinenti compellat ipsum molinariũ ad restitutionem integram dicti grani & farinæ.& credatur domino grani & farinæ de quantitate,medio eius iuramento.

De cozolis inquirendis, cap. 136.

ITEM *statutum ast,quòd Potestas teneatur inquirere seu inquiri facere cozolia omnium molendinorum de mense in mense si voluerit.*

De porcis, gallinis, & anseribus per molinarios non tenendis, cap. 137.

ITEM *statutum est, quòd molendinarij non possint in molendinis Saluciarum tenere sues,gallinas,anseres,anates,& alia animalia. & si contrafecerint,soluant bamnum omni vice floreni vnius.*

De battenderijs, cap. 138.

ITEM *statutum est,quòd quælibet persona,quæ tenuerit ad fictum vel alio modo battanderium,teneatur bene,& sufficienter adaptare, & battere quodcunq; canapum sibi portatum ad battendum infra decem dies postquam fuerit requisita,sub pœna floreni vnius pro quolibet,& vice qualibet.et quilibet qui portauerit,vel portari fecerit canapum ad battendum,tenatur soluere domino battanderij priusquã exportet canapũ ad rationem grossorum pro singulo rubbo,ponderando postquam fuerit battutum,absq; aliquo premio.et qui plus dederit vel plus acceperit,soluat florenũ unum pro qualibet vice, & quilibet possit accusare:& credatur eius iuramento,& habeat tertiam partem bamni.*

De rastello tenendo, cap. 139.

ITEM *statutum est,quòd quilibet molinarius in suo molendino, & quilibet alius in suo battanderio seu martineto habeat suum desuiatoriũ ad diuidendam aquam, ita quòd si voluerit adaptare suum molendinum vel aliud suum ingenium, quòd alia molendina, seu ingenia non cessent molere. Et pariter tenebitur quilibet molinarius & alius tenens martinettum vel battitorium, habere vnum rastellum in introitu canalis sui ingenij, sub pœna pro quolibet, & vice qualibet florenorum duorum.& ad hoc eligantur duo homines,qui prouideant, & possint accusare.& alius quilibet bonæ vocis possit accusare, & credatur accusatori cum iuramento, & habeat tertiam partem bamni.*

De resecatoribus, cap. 140.

ITEM *statutum est,quòd quilibet resecator billionorum teneatur resecare quoscunque billiones ibi portatos infra tres menses postquã ad resecã fuerint portati, & consignare domino biglioni omnes postes & scuenos ipsius biglioni: & teneatur dare duas partes domino asidum,et scuenorum, & sibi retinere aliam tertiam partem,sub pœna damnorum,expensarum,& interesse,ac florenorum*

renorum duorum: Et si aliquæ postes ante diuisionem factam cum domino perderentur,teneatur resarcire resecator domino biglioni.et quilibet possit accusare,& habeat tertiam partem bamni,& credatur solo iuramento.

De sartoribus, cap. 141.

ITEM *statutum est,quòd quilibet sartor & sarturisia, qui vel quæ acceperit panros ad laborandum ab aliqua persona de Salucijs vel ibi habitante cuiuscunq; generis sint ipsi panni,teneatur & debeat perfecisse laborem sibi iniunctum ab eo cuius erit pannus benè & sufficienter infra tres hebdemodas postquam acceperit ipsos pannos;& ante si sic actum esset inter partes,sub pœna pro quolibet,& qualibet vice florenorum duorum.& si per sartorem aliquem vastaretur aliquis pannus,quòd soluat idem bamnum,& emendet damnum domino panni.ad æstimationem draperij & duorũ à partibus eligendorum vel per dominum Potestatem. Et Potestas teneatur cogere sartores,qui non compleuissent uestes in termino prædicto vel conuento,vt ipsas vestes perficiant,pœnis & bamnis imponendis arbitrio ipsius Potestatis.*

De Caligarijs,& Affaitatoribus, cap. 142.

ITEM *statutum est, quòd quilibet affaitator seu caligarius qui coria affatauerit,seu affaitare fecerit,teneatur dimittere & tenere ipsa coria in affaito,secundum quòd affaitari debent per vnum annum, à die qua incipiunt ipsa ponere in affaito,& taliter quòd sint bene conditionata vt decet. & quòd illa leuare non possit nisi prius data notitia reuisoribus communitatis, & facta per eos visitatione de dictis corijs. & qui contrafecerit, incurrat pœnam amissionis coriorum & florenorum octo pro qualibet vice.*

De caligarijs, cap. 143.

ITEM *statutum est,quòd quilibet caligarius seu affaitator faciens,vel fieri faciens subtulares sliuallos,seu borgechinos, quos vendiderit,vel vendere voluerit in Salucijs,teneatur & debeat vinculo iuramenti illos facere videlicet tomairam totam de vno corio seu de vna pelle,& hoc sub pœna floreni vnius pro quolibet & vice qualibet applicanda pro tertia fisco,pro tertia Potestati,& pro tertia accusatori. Et quilibet bonæ vocis, & famæ possit accusare, & credatur solo iuramento.*

De affaitatoribus, cap. 144.

ITEM *statutum est,quòd quælibet persona quæ affaitare voluerit in ciuitate Saluciarum,& tam caligarij,quàm drapparij, teneantur tenere affaitariam taliter curatam & clausam,quòd aliquod nocumentum,seu aliquis fator ex ordura coriorum & pellium non detur vicinis,teneantur pariter prædicti Caligarij & Drapparij aquam bedalis capere, & ea vti pro affaitando adminus damnum personarum & bestiarum Saluciarum, teneanturq; prædicti vacuare de affaitaria ruscatium & calcinatium, & troglios affaitare in bedali prædicto,ab hora*

horatertiarum, vsq; ad solis occasum, sub pœna florenorum octo pro qualibet vice. te neanturq; dicti caligarij lauare coria in bedali Saluciarum adminus damnum vu ſupra, & vacuare uaſſellos tenturiæ, drapariæ, ab hora tertiarum, vſq; ad Solis occa ſum, niſi ex iuſta cauſa, & habita prius licentia à domino poteſtate, vel Sindicis com munis. ſub eadem pœna.

De corijs non tenendis in bedali Saluciarum, cap. 145.

ITEM ſtatutum eſt, quòd nullus caligarius, affaitator, aut alia perſona aliquo modo ponere poſſit vel tenere aliquas pelles cuiuſuis beſtiæ in bedali communis Saluciarum à Solis ortu vsq; ad occasum, sub pœna florenorum duorum pro quolibet & vice qualibet. et quilibet bonæ uocis et famę poſſit accusare, et credatur medio eius iuramento, et habeat tertiam partem bamni.

De ſubtularibus, cap. 146.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet caligarius seu fieri faciens subtulares ad vendendum in Salucijs, teneatur et debeat facere, seu ponere eisdem subtularibus soleas de schina corij groſſi, et in eis ponere vardonos de schina corij groſſi, et hoc intelligatur in subtularibus groſſis: in subtularibus uero subtilibus teneatur et debeat ponere soleas de corio breato, cum uardonis corij breati; Item quòd non poſſit vendere vnũ coriũ pro alio. & intelligantur ſubtulares groſſi de vacca, & ſubtiles de motono ſeu cordouano, & marochino. Et qui contrafecerit, ſoluat bamnum in quolibet prædictorum caſuum pro quolibet pari ſubtularium florenum vnius; & pœna applicetur vt ſupra. & quilibet pariter bonæ vocis & famæ, poſſit accuſare, & credatur medio eius iuramento.

De textoribus, cap. 147.

ITEM ſtatutum eſt, quòd textores & textrices, qui nunc ſunt, & pro tempore fuerint in Salucijs, teneantur & debeant facere telam, ſeu mantilia ad menſuram, ſeu ad teſiam eis datam per commune Saluciarum, ſub pœna pro quolibet, & qualibet vice florenorum octo. & quilibet bonæ famæ poſſit accuſare cum iuramento, & credatur ei. & habeat tertiam partem bamni.

De textoribus & menſura telarum. cap. 148

ITEM ſtatutum eſt, quòd omnes textores & textrices teneantur facere texiam quamlibet cum orditura, hominibus Saluciarum iuxta taxam, & æſtimationem conſilij Saluciarum, aut ab eo deputandos ſingulo anno: ita tamen quòd texia telę de ſtoppa ſit longitudinis raſorum duodecim, & largitudinis iuxta ſolitum, & pariter tela nouena ſit eiuſdem longitudinis & largitudinis, & telę decena ſit longitudinis raſorum duodecim cum dimidio, & largitudinis iuxta ſolitum: tela vero duodena, tela de lino, & tela de vigintiquatuor, ſint raſorum tres de cim

cim. & largitudinis iuxta ſolitum. texia vero mantilium, & toagliarum ſit longitudinis raſorum tredecim, & largitudinis iuxta ſolitum. nec poterunt textores & textrices aliquid pluris acccipere, quàm fuerit per conſilium ordinatum. & ſi quis contrafecerit faciendo telam minoris longitudinis & largitudinis, quàm ſupra dictum eſt, incurrat pœnam florenorum duorum pro qualibet vice. Et pariter, qui recuſauerit telam facere ſub ſtipendio ſtatuendo per dictam communitatem, aut ab ea deputandos, incurrat eandem pœnam, & nihilominus, priuetur ab officio per vnum annum. & quilibet textor, ſeu textrix teneatur telam, quam acceperit ad faciendum reddere factam & completam infra vnum menſem poſt ordituram laboris, ſub dicta pœna; & Poteſtas teneatur inquirere contrafacientes in prædictis, de tribus in tribus menſibus, & ſępius ſi fuerit requiſitus: & quilibet poſſit accuſare; & credatur accuſatori cum iuramento, & habet tertiam partem bamni.

De fornarijs, cap. 149.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet fornarius teneatur panem coquere ad omnem requiſitionem cuiuslibet de Salucijs, & ibidem habitantis, media mercede conuenta: & teneantur ipſi fornarij portare panem, & reſtituere bene coctum ad domum. & qui recuſauerit tali pretio operari dictum officium, prohibeatur à Poteſtate exercere illud officium per vnum annum proxime ſequentem à die recuſationis. & ſi operabitur poſt prohibitionem ſibi factam, ſoluat pro quolibet & qualibet vice bamnum floreni vnius. & quilibet fornarius, ſi fuerit requiſitus teneatur numerare totum panem portatum ad eius furnum, & ſub illo numero reſtituere teneatur, de quo numero credatur ei cuius eſt panis cum iuramento ſi fuerit bonæ uocis, & famæ. Et ſi aliquis fornarius panem alicuius ſui culpa deteriorauerit vel vaſtauerit, de qua vaſtatione credatur cuilibet bonæ famæ cum iuramento, teneatur talem panem vaſtatum emendare ei cuius erit panis incontinenti: & facta emenda poſſit fornarius retinere panem vaſtatum: & ad talem emendam compellatur pœnis & bamnis dictus fornarius. & quòd nullus fornarius debeat tenere aliquos porcos, anſeres, anates, & gallinas in domo furni in qua moratur, & qui contrafecerit ſoluat bamnum florem vnius, omni vice.

De rama & ſarmenta penes furnarios inuenta, cap. 150.

ITEM ſtatutum eſt, quòd aliquis furnarius vel furnaria non poſſint, nec debeant habere ramam vel ſarmenta niſi oſtenderint à quo habuerint, vel niſi incidi feciſſent in gorretis ſeu nemoribus communibus, & qui contra fecerit, ſoluat bamnum pro qualibet vice florenorum quatuor: & inde ramam reſtituere compellatur ei cuius erit, pœnis & bamnis arbitrio Poteſtatis ſtatuendis.

De candelis fiendis, cap. 151.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quilibet faciens candelas de ſepo in Salucijs ad uendendum, vel qui aliunde apportauerit candelas ad vendendum in Salucijs,

cijs, teneatur vendere cuilibet emere volenti de ipsis candelis secundam stantiam eis datam per stantiatores communis Saluciarum, sub pœna pro quolibet & qualibet vice si fuerit contrafactum, florenorum duorum; & quelibet persona faciens candelas ad vendendum in Salucijs, reperta vel confessa, aut conuicta posuisse simimi de porco, aut butirum in ipsis candelis, soluat bamnum omni vice florenorum quatuor, & amittat candelas. & qui vendiderit candelas in Salucijs vltra stantiam, soluat bamnum pro qualibet vice florenorum duorum, & amittat candelas. & teneantur venditores candelarum vendere ad libram, vel mediam libram, & quartaronum. Et Potestas Saluciarum, qui pro temporibus fuerit in Salucijs teneatur facere iurare dictos candelarios, & eorum famulos, dictum officium legaliter exercere ut supra dictum est, quando officiales alij iurabunt. & prædicta Potestas inquiri faciat omni mense si operantur eorum officio, vt supra. & teneantur omnes facientes candelas facere lumignonos candelarum, videlicet medietatem de bombace, & aliam medietatem canapæ, sub dicta pœna, & amissione candelarum; & hoc si candelæ sint mediocres: si uero candelę essent minutæ, uidelicet quòd decẽ & octo vel viginti candelæ faciant libram vnam, facere teneantur lumignonos de vno filo canapæ, & de vno filo bombacis tantum, & plus ponere non debeant, sub eadem pœna. si vero candelę fuerint grossę, possint facere lumignonum de tribus filijs bombacis, & tribus canapæ & non vltra, sub eadem pœna. Et quòd nullus possit nec debeat extrahere candelas à Salucijs, nisi pro vsu sui hospitij, nec extrahere aliquo casu sepum, sub pœna florenorum duorum, & amissionis candelarum & sepi. & quilibet bonæ famæ possit accusare cum iuramento. & credatur ei, & habeat tertiam partem bamni.

De fundentibus sepum, cap. 152.

ITEM statutum est, quòd aliquis candelarius, seu alia persona, non valeat nec presumat fundere sepũ ex quo fiunt cãdelæ, seu pro faciẽdo candelas, nec in ciuitate nec in airalibus Saluciarũ nisi in domibus bene muratis, & copertis tegulis seu cupis, sub pœna pro quolibet & qualibet uice florenorũ quatuor.

De lateribus & tegulis, cap. 153

ITEM statutum est, quòd quilibet fornasarius operans in posse Saluciarũ teneatur & facere debeat singulos mattonos seu lateres ponderis, quando sunt cocti, librarum tredecim, & singulos cupos in largiori parte cupi vnciarum sex, & in strictiori parte cupi eiusdem vnciarum quinq;, & longitudinis vnciarum undecim ad mensuram Geometriæ. & eos vendere teneãtur hominibus Saluciarum prius quàm extraneis, secundum pretium & æstimationem duorum proborum uirorum ad hoc annuatim eligendorum in consilio Saluciarum & per ipsum consilium infra vnum mensem post introitum regiminis cuiuslibet Potestatis, & qui non debeant recusare uendere hominibus Saluciarum ad stantiam de opere, quod non probarent esse vendatum, de qua probatione stetur eorum iuramento. & qui contra prædicta, vel prædictorum aliqua fecerit, soluat bamnum pro qualibet vice florenorum duorum. & quilibet de Salucijs bonæ famæ possit accusare: & habeat

habeat tertiam partem bamni, extraneis vero vendere possint quantum conuenerint cum ipsis, presenti statuto non obstante.

De manualibus, cap. 154.

ITEM statutum est, quòd omnes carpentarij, & muratores, ac omnes manuales, & operarij teneantur & debeant incontinenti & sine mora aliqua post quam se locauerint, vel de mercede cõuenerint, ire ad locum in quo operari debebunt, & inde non recedere ante Solis occasum, nisi esset iusta causa, vel nisi locus distaret per vnum milliare: nec aliqualiter possint se alteri locare. & qui contrafecerit, soluat bamnum omni vice in quolibet casu prædictorum floreni vnius. & quòd dicti manuales, nec conductor, audeant pacta eorum locationis facere in aliqua ecclesia sacra, nec ante faciem alicuius Ecclesiæ. & qui contrafecerit, soluat bamnum vnius floreni pro quolibet. & quilibet possit accusare.

SEXTA COLLATIO
DE DELICTIS.

De modo procedendi in causis Criminalibus, cap. 155.

ITEM statutum est, quòd nullus possit pro delicto molestari, nisi prius consti to de delicto, & præcedentibus informationibus, saluo si in fragranti crimine fuerit repertus: quibus informatioribus visis, poterit iudex citationem personalem aut incarcerationem decernere secundum qualitatem delicti & delinquentis. Ipso delinquente comparente, aut detento, tenebitur Potestas ipsum delinquentem examinare statim, vel saltem per totam diem subsequentem, & die subsequenti illum repetere, & infra dies tres subsequentes confrontationes facere, repetitis prius testibus pro informationibus examinatis. quibus perfectis dabitur præuento, & accusanti copia informationum, responsionum & totius processus cum assignatione ad faciendum suas defensiones infra octo. & poterunt hinc inde prœuentus, & accusans deducere, allegare & probare quicquid uisum fuerit ad verificationem querelæ, & innocentiæ respectiue etiam per procuratores & aduocatos, si ita illis uisum fuerit; & etiam dare obiectus contra personas testium, si non fuerint datim confrontatione. Quibus perfectis, communicabuntur omnia D. procuratori Regis, vt infra triduum suas tradat conclusiones, quæ intimabuntur prœuento, daturo diminutiones. & demum fiet assignatio ad audiendum ius. & omnibus prętermissis Potestas suam perferet sententiam. prœuento vero non comparente die cadentis assignationis, dabitur contra eum defectus, pro cuius vtilitate, concedentur citatoriæ & captionales, cum annotatione bonorum, quam faciet Potestas infra triduum. Per seuerante in contumacia prędicto prœuento, concedetur secundus defectus: & pro utilitate citabitur ad tres breues & peremptorios dies, cum affixione citationis sub porticu communi. pro quorum vtilitate excludetur ab omnibus exceptionibus, & defensionibus quas facere potuisset si comparuisset, & pronunciabitur delictum pro ue

50 & confesso, condemnabiturq; ad pœnam delicti, pro quo fuit prœuentus.

De accusatoribus, cap. 156.

ITEM statutum est, quòd quecunq; persona, quę reperta fuerit temerè accusasse, vel indebitè aliquam aliam personam, aut denunciasse, teneatur soluere bamnum, quod solueret persona accusata, vel denuntiata si recte & iustè fuisset accusata, & denuntiata, & satisfacere accusato, & denuntiato expensas ea occasione factas secundum taxam domini Potestatis.

De puniendo facientes contra statuta, cap. 157.

ITEM statutum est, quòd Potestas Saluciarum teneatur, quoties fuerit denuntiatum, vel aliter sciuerit aliquem facere contra statuta, super hoc inquirere veritatem, & ipsa reperta punire debeat personam contrauenientem statutis, & ordinationibus consilij eius arbitrio.

De homicidijs, cap. 158.

ITEM statutum est, quòd si aliquis occiderit aliquem hominem de Salucijs vel ibi habitantem, siue extraneum, morte moriatur, si personaliter apprehendatur; remanentibus bonis filijs aut proximioribus in gradu succedendi: quòd si non, apprehendatur, eius bona annotentur, & publicentur: remaneant tamen semper subiecta oneribus prout antea erant, & illorum bonorum legitima reseruata liberis, nisi legitime probaret, aut constaret hoc fecisse casualiter, aut sine dolo, vel se defendendo: quo casu remaneat in dispositione iuris communis. & aliquis homicidia alicuius hominis de Salucijs, vel ibi habitantis, unde cunq; sit, in perpetuum in Salucias venire non possit, nisi prius esset in concordia cum parentibus occisi: & si non habeat parentes, cum proximioribus attinentibus.

De proditoribus incẽdiarijs & bamnitis, c. 159.

ITEM statutum est, quòd si quis ceperit aliquem proditorem Serenissi. D. Domini Regis Delphini & Patriæ, grassatorem viarum, incendiarum bamnitos, & illos consignauerit Potestati Saluciarum, habeat à communi Saluciarum, pro quolibet capto florenos quadraginta, ita tamen vt si capti habeant bona, q; in primis detrahantur dicti floreni quadraginta, & restituantur cõmunitati.

De adulterijs & stupris, cap. 160.

ITEM statutum est, quòd pro crimine adulterij & stupri non violenti, non possit contra aliquem procedi, nisi adsit accusator legitimus, & puniatur conuictus arbitrio domini Potestatis.

De lenonibus, cap. 161.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de Salucijs vel ibi habitans lenocinium commiserit, & inde fuerit conuictus, vel confessus, quòd ponatur ad berlinam per tres horas, demumq; fustigetur die fori à platea vsq; ad riuum-

tortum,

tortum, & bamniatur à ciuitate Saluciarum perpetuo, & si talis persona quę pręmissa commisisset, esset Iudęus vel Iudęa, quòd cremetur, uel decapitetur.

De incendiarijs, cap. 162.

ITEM statutum est, quòd qui fecerit incendium animo ad hoc deliberato in Salucijs, vel in airalibus, aut alibi in finibus Saluciarum tam in edificijs quàm gerbis, paglerijs, & alijs fructibus, uitibus, nemoribus, & alijs plãtis, & inde fuerit conuictus vel confessus, comburatur igne, ita quòd moriatur, & de eius bonis in primis satisfieri debeat damnum & intereße ei, cuius res fuerit combusta, & cetera eius bona publicentur.

De bamnitis, cap. 163.

ITEM statutũ est quòd si quis de Salucijs uel aliunde, fuerit à loco Saluciarum bamnitus ex quauis causa, Potestas Saluciarum teneatur ipsum tenere in bamno, donec soluerit emendam & interesse damnum passo, & concordiam fecerit cum ipso: nec per aliquem possit aliter concordari.

De latronibus nocturnis, cap. 164.

ITEM statutum est, quòd licitum sit cuilibet de Salucijs, vel ibi habitanti, personaliter capere latrones nocturnos & incendarios, & eos ducere vel duci facere impune coram Potestate Saluciarum. & quilibet intelligatur latro, qui de nocte inuentus fuerit in aliena domo inuito domino. & credatur cum iuramento domino domus, si sit bonæ vocis, conditionis & famæ.

De blasphematoribus, cap. 165.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona cuiusuis status & gradus existat, quæ in Salucijs vel posse dixerit aliquod turpe verbum blasphemando, vel contemnendo Deum uel Beatam virginem Mariam, pro prima vice soluat bamnum florenorum viginti quinq;, pro secunda florenorum quinquaginta, & pro tertia vice ponatur ad berlinam per horas tres. & pui blasphemauerit Sanctos vel sanctas dei, soluat bamnũ pro prima vice florenorum decem, pro secunda florenorum viginti, & pro tertia vice ponatur ad berlinam per horas duas. & qui non habet in bonis, luat in corpore. poterit tamen Potestas ex iusta causa, & in eo qui nõ est solitus similia cõmittere, pœnas prædictas mitigare eius arbitrio, applicãda dicta pœna pecuniaria ꝑ tertia parte fisco, pro tertia hospitali, & pro tertia accusatori.

De inciforibus vittum & aliarum arborum, cap. 166.

ITEM statutum est, quòd. quælibet persona, quæ conuicta fuerit incidisse seu incidi fecisse alienas uites animo deliberato, suspendatur, ita ut moriatur. & si quis inciderit arbores alienas fructiferas malo animo & ad uindictam, fustigetur ad locum solitum pro prima uice, & pro secunda suspendatur, & utroq; casu teneatur emendare damnum passo super eius bonis.

De arboribus nõ fructiferis nõ incidẽdis, c. 167.

ITEM statutum est, quòd nulla persona audeat incidere aliquas arbores infructiferas, sub pœna pro prima vice florenorum decem vsq; ad grossitudinem vnius tibiæ; & ab inde supra, florenorum vigintiquinq;: pro secunda vice, ad duplum: pro tertia vice ad berlinam per tres horas, vltra solutionem damni domino fiendam. Et præmissa non habeant locum in nemoribus siluestribus, & vernetis Salutiarum, in quibus obseruabuntur ordinamenta particulariter fienda per communitatem Saluciarum.

De percussionibus, cap. 168.

ITEM statutum est, quòd si quis percusserit aliquem de Salucijs vel ibi habitantem, vel etiam extraneum pugno, palma, pede, baculo, lapide, aut alio simili modo, puniatur per Potestatem secundum qualitatem delicti, et personarum. Et idem obseruetur in omnibus alijs delictis, & percussionibus, quouis genere armorum factis, in quibus mors non interuenit.

De iniurijs verbalibus, cap. 169.

ITEM statutum est, quòd si quis de Salucijs vel ibi habitans dixerit alicui iniuriam, vel aliquod verbum iniuriosum, aut contumelioſum, illiusq; occasione fuerit in ius uocatus: declarando in registris curiæ Saluciarum in prima assignatione se calore iracundiæ dixisse, & nolle illam sustinere, & ita dictam iniuriam reuocauerit, dicendo iniuriatum non esse culpabilem iniuriæ sibi illatæ: non possit contra eum procedi vlterius ciuiliter, nec criminaliter, nec puniri aliqua pœna, vel emenda honoraria, vel pecuniaria. Et si dicta declaratio facta non fuerit modo præmisso, procedatur vt iuris.

De minis, cap. 170.

ITEM statutum est, quòd si quis minatus fuerit alicui de Salucijs uel ibi habitanti de eum offendendo, quouis modo, & ex quauis causa in persona vel bonis, & inde fuerit conuictus, vel confessus; quòd tunc & eo casu teneatur Potestas instante eo cui factæ fuerunt minæ, detineri facere talem personam personaliter donec cauerit de non offendendo, vel offendi faciendo, pro quantitate arbitrio ipsius Potestatis, secundum quòd casus exegerit, declaranda. & quatenus cõtingeret inferri aliquod damnum contra eum, cui fuerunt factæ minæ, possit, & debeat Potestas procedere contra eum, qui minas dixerit.

De transeuntibus per moenia. cap. 171.

ITEM statutum est; quòd si quis de Salucijs, vel ibi habitans, seruitor, vel mercenarius alicuius de Salucijs, inuentus fuerit transeundo subtus portas moenium Saluciarum postquam fuerint clausæ, vel muros moenium tempore noctis, soluat bamnum florenorum ducentum; si verò fuerit extraneus alibi habitans quàm in Salucijs, & posse, suspendatur.

De

De furtis, & rebus furtiuis, cap. 172.

ITEM statutũ est, quòd qui fecerit furtũ in Salucijs uel posse, pro prima uice, & à summa florenorũ uigintiq; infra, puniatur arbitrio Potestatis: & à dicta summa supra ponatur ad berlinam; & hoc pro prima vice; pro secunda vtroq; casu fustigetur: & pro tertia suspendatur, ita vt moriatur, nisi aliter ex qualitate furti & furantis, visum fuerit Potestati pœnam esse augendam. Et si aliquis de Salucijs bonæ famæ emeret, aut penes eum inuenta esset res aliqua furtiua, ignorando illam esse furtiuam, & se medio iuramento purgando, ac venditorem denuntiando, nullum incurram bamnum.

De inquirendis furtis in domibus alienis, c. 173.

ITEM statutum est, quòd potestas Saluciarum, siue eius locumtenens, teneatur omni anno, tempore messium & vindemiarum, & quotiescunq; fuerit necessarium, & expediens, ex officio vel ab aliquo requisitus, accedere ad habitationes illorum, qui nulla bona immobilia possident in agro Saluciarum, aut qui sunt suspecti de fructibus alienis aliquid percepisse, aut exportasse, & ibi summarie illos interrogare, vbi dictos fructus acceperint. Quòd si dicant illis fuisse donatos, aut ex alia quauis causa habitos, quòd teneatur dictus potestas à præmissis de veritate inquirere. Quòd si nihil fuerit probatum, tunc Potestas teneatur tales personas punire & castigare vti fures, & depredatores finium, pœna fustigationis & perpetui bamnimenti si sint extranei: si sint de Salucijs, fustigentur & bamniantur arbitrio Potestatis, solutis omnibus expensis in omni capite. & statim res furtiuę auferantur à manibus eorum, & reponantur penes tertium, donec clare appareat cuius fuerint; Quòd si sciri possit, domino restituantur: si verò sciri non possit cuius sint, applicentur pro tertia parte Potestati, pro tertia parte accusatori, & pro tertia fisco. Quòd si quis de Salucijs vel ibi habitans, conuictus, uel confessus fuerit per collusionem, aut alio illicito, & fictitio modo, tales depredatores excusare uoluerit, quòd incurrat pœnam florenorum ducentum pro qualibet vice.

De furantibus decimas, cap. 174.

ITEM statutum est, quòd omnis persona, quæ fuerit conuicta, vel confessa, decimas in prædijs relictas accepisse per se vel per alium, pro prima vice ponatur ad berlinam per tres horas vltra restitutionem decimæ ablatæ cum expensis: & pro secunda fustigetur.

De capentibus alienum bladum vel auenam, cap. 175.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona acceperit alienam messem, auenam, legumina, vel aliquid simile in alienis campis, si ceperit ab vna gerba infra incusiue, soluat pœnam florenorum octo: & ab inde supra, pro prima vice ponatur ad berlinam per horas tres, & pro secunda fustigetur, soluendo vtroq; casu

que casu damnũ datum domino.& qui fuerit inuentus incidendo spicas, pro prima vice ponatur ad berlinam per tres horas, per secunda vice fustigetur.

De fęno, herba palea non capiendis, cap. 176.

ITEM *statutiũ est, quòd siquis inuentus fuerit uel conuictus capiẽdo, vel exportando alienũ fœnum, herbã, aut paleam, vel inde fuerit conuictus, incurrat pœnam pro qualibet persona, & fasce florenorum quatuor: si cum equo, florenorũ viginti: si cum corru, florenorum sexaginta; & de nocte duplum. & hoc pro prima vice: pro secunda totidẽ, & ponatur ad berlinã: & totidem pro emẽda.*

De rebus alienis inuentis consignandis, cap. 177.

ITEM *statutum est, quòd qui inuenerit alienam rem in Salucijs vel in toto posse Saluciarum, & ipsam rem acceperit, teneatur ipsam rem inuentam consignare domino Potestati, vel eam reddere domino, cuius est, vel rem ipsam facere publicari in Ecclesia, sub cuius parochia fuit res inuenta infra tertiam diẽ post quã illam inuenerit. & si nõ fecerit, pro furto habeatur fure, et pro puniatur.*

De vino non miscendo cum aqua· cap. 178.

ITEM *statutũ est, quòd nulla persona cuiusuis gradus et cõditionis existat, quæ in vino, quod in Salucijs vel posse vendet, aquam in eo miscere non audeat, sub pœna florenorum octuaginta pro qualibet vice; & quilibet bonæ vocis possit accusare; applicanda ipsa pœna pro tertia parte accusatori, pro tertia gabellatori & pro tertia parte fisco.*

De crimine falsis, cap. 179.

ITEM *statutum est, quòd quicunq; in iudicio produxerit instrumentum aut testem falsum scienter, & cum dolo, vltra pœnam à iure præfixam, si fuerit conuictus vel confessus, amittat ius, quod habet in ipsa causa; & tenebitur qui voluerit testem aut instrumentum de falso impugnare, se inscribere: & vbi se non inscribat, existentibus legitimis informationibus, & medijs falsitatis, poterit Potestas procedere contra talem personam, instante regio Procuratore.*

De expellẽda muliere inhoneste viuente, c. 180.

ITEM *statutum est, quòd siqua mulier de Salucijs vel iui habitans, inhoneste & luxuriosè vixerit, quòd Potestas Saluciarum ad requisitionem vicinorum tales meretrices à vicinia expellere, penis sibi arbitrarijs. teneatur.*

De meretricis expellendis, cap. 181.

ITEM *statutum est, quòd nulla persona posit in eius domo recipere aliquam publicam meretricem, nec aliquem lenonem publicum, sub pœna florenorum octo pro qualibet vice. & quilibet possit accusare si sit bonę vocis, & famę. minusq; poterit aliqua publica meretrix, seu ruffiana habitare uel manere in domo propria, nec aliena in ciuitate Saluciarum. & publica meretrix & ruffiana intelligatur utroq; casu, quę sui corporis copiã fecerit publicè, et pro talierit publicè tenta & reputata à uicinis.*

SEPTIMA COLLATIO
DE CAMPARIIS, ACCVSIS, ET BAMNIS CAMPESTRIBVS.

De Camparijs, cap. 182.

ITEM *statutum est, quòd in consilio Saluciarum debeant eligi, & deputari nouem camparij, videlicet de quolibet burgo tres, qui tenebuntur iurare in consilio, & manibus Potestatis, de exercẽdo legaliter & fideliter eorum officium; & scribatur per Secretarium communitatis, dies præstiti iuramenti, nomen et cognomen camparij: quorum sex tenebuntur seruire pro planicie, & tres pro nemoribus. quibus quidem camparijs dabitur fides circa accusas per eos fiendas.*

De officio Cãpariorũ, & aliorũ accusantiũ, c. 183

ITEM *statutum est, quòd camparij, & omnes accusatores, & ipsorum quilibet in eorum accusis, quas fecerint, teneantur, & debeant facere scribi diem, & locum damni, vbi accusant, necnon horam, videlicet mane, meridiẽ, vel de sero, infra tertiam diem à die dati damni. Et si in accusis non contemitur dies & locus damni dati, & hora modo præmisso, cum duubus cohærentijs ad minus, non valeant accusæ, sed habeantur pro infectis, & vlterius procedi non possit ratione dictarum accusarum: nec accusati ad solutionem alicuius damni, & emendæ compelli possint. & tenebuntur dicti camparij ad hoc vt eorum accusę valeant, dicere cuilibet personæ de Salucijs, & habitanti, quam repererint cum bestijs, uel sine, offendentem, dicere, Ego te accuso de damno, quod facis; aliàs eorũ accusæ non valeãt, & credatur campario medio eius iuramento se dixisse talia verba. & tenebũtur accusatores, & camparij ostendere locum ad requisitionem accusati, in quo fuit damnum datum: aliàs accusa sit nulla.*

infra 3. die

De accusatoribus, cap. 184.

ITEM *statutum est, quòd quilibet de Salucijs bonæ vocis conditionis & famæ possit accusare quemcumque quem viderit, seu inuenerit damnum facientem in alienis prædijs hominum Saluciarum, vsq; ad quantitatem florenorum trium, quorum tertia pars applicabitur ipsi accusatori. & credatur accusatori, medio eius iuramento.*

De accusatoribus, cap. 185.

ITEM *statutum est, quòd quilibet bonæ vocis, conditionis, & famæ habens bona in Salucijs uel posse Saluciarum, possit medio eius iuramento in proprijs prædijs, & bonis accusare: & credatur illi cũ iuramento usq; ad florenos quatuor.*

De camparijs, cap. 186.

ITEM *statutũ est, quòd camparij non possint aliquid capere in alienis prędijs: & vbi fuerint conuicti vel confessi, soluãt duplicem emendam, eius quod*

solueret

soluere alius, qui non esset camparius. & vlterius non poterunt camparij quicquã capere à colonis; nec in eorum domibus bibere & comedere; sub pœna florenorũ octo pro singula uice, & pro quolibet, quam pœnã incurrent tam ipsi camparij accipientes quam massarij dantes: & vlterius camparij priuabuntur officio campariæ.

Quòd cãparij non ingrediantur vineas, c.187.

ITEM statutum est, quòd camparij Saluciarum non debeant intrare uineam alicuius de Salucijs vel ibi habitantis, quando vuę in ea sunt maturæ, nisi hoc fecerint de uolũtate domini, aut ex iusta & necessaria causa ad uerificationem accusæ, sub pœna vnius floreni pro qualibet vice.

De camparijs, cap. 188.

ITEM statutum est, quòd cãparij per cõsilium Saluciarum deputati, teneantur, & debeant singula die visitare & custodire fines Saluciarũ, prout illis fuerit per consiliũ ordinatũ, unusquisq; in parte finiũ, in qua fuerint deputati custodes, sub pœna florenorũ duorũ pro quolibet, & uice qualibet.

Quòd camparij & alij accusatores nõ accusent bestias in pluribus possessionibus, c.189.

ITEM statutum est, quòd camparij, & alij accusatores, cùm repererint aliquis bestias offendentes in vna possessione, teneantur ipsas bestias de ipsa seu ab ipsa possessione expellere, seu expelli facere, ne ipse bestię procedant ad faciendum damnum alijs possessionibus cohærentibus primæ possessioni: Et si ipsas bestias non expulerint de ipsa possessione, in qua primo reperierunt eas damnũ dantes, & ipsæ bestiæ processerint ad damnum dandum in alijs possessionibus, non possint ipsas accusare, nisi de damno dato in ipsa prima possessione. Et si accusauerint ipsas bestias de alijs possessionibus vltra primam, ipsæ accusæ non valeant pro bamno, nec emenda.

Quòd Clauarius nõ participet in accusis. c.190.

ITEM statutum est, quòd clauarius curiæ Saluciarum in maleficijs, vel eius Locumtenens, seu vices gerens, non possit emere, acquirere, nec participare aliquo modo, titulo, vel causa, in accusis, bamnis campestribus, & emendis accusationum factarum in eadem curia, seu fiendarum tam per camparios quàm famulos curiæ, & alios quoscunq; accusatores. Et ipsi camparij, famuli, & accusatores non possint, vendere, dare, vel remittere dictas tertias partes, & emendas accusarum dicto clauario, sed remaneat ius saluum, & facultas accusatoribus, & accusatis se inuicem concordandi de ipsis tertijs partibus, & emendis. Et casu quo aliqua fiat remissio per dictos accusatores, camparios, & famulos de dictis tertijs partibus & emendis dicto clauario, vel eius locumtenenti, aut alteri eius coadiutori, aut nomine suo recipienti, eo casu accusati à dictis tertijs partibus sint liberi & absoluti, & ad solutionem ipsarum tertiarum partium, & emendarum nullatenus teneantur

teneantur. & sit astrictus clauarius obseruare, & quilibet habens causam ab eo in dicto officio, sub pœna iuramenti & florenorum vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit.

Quòd accusati de pluribus bestijs soluant tantum pro quibus iurauerint, cap.191.

ITEM statutum est, quòd qui accusatus fuerit damnum dedisse cum pluribus bestijs hominum Saluciarum, & voluerit iurare se tot bestias non habere, aut quòd tempore & loco factæ accusæ tot bestiæ non adessent, quòd eius iuramento credatur, & pro illis tantum soluat bamnum & emendam pro quibus iurauerit, dummodo sit bonæ vocis, conditionis, & famę.

De nõ capiendo aliquid in alienis prędijs, c.192.

ITEM statutum est, quòd si quis ingressus fuerit alienam vineam, & ibi aliquid ceperit siue ligna, siue fructus, aut vitium fragmenta, incurrat pœnã à principio mensis Ianuarij vsque & per totum mensem Maij, florenorũ quatuor; & à principio mensis Iunij vsque & per totum mensem Octobris florenorum duodecim; & à principio mensis Nouembris vsq; & per totum mensem Decembris florenorum quatuor. & in omni casu soluat domino tantundem damnum passo. & qui non habet in bonis, ponatur ad berlinã. Et idem seruetur in hortis omni tempore: & in prædijs Serenissimi D. Domini nostri Regis ad duplum. & vicini incurrant in duplicem pœnam. & licet prædicta committens non fuerit inuẽtus præmissa committendo, soluat nihilominus bamnum vt supra, si fuerit conuictus.

De non intrando in aliena prędia. cap.193.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona fregerit aliquam clausuram alicuius possessionis, vel ingressus fuerit alienam possessionem per clausuram ea amota, videlicet vinearum, altenorum, hortorum, ayralium, canapalium & rusticorum ædificiorum, incurrat pœnam florenorum quatuor pro qualibet vice, & totidem damnum passo: & si non haberet modum soluendi, ponatur ad berlinam per tres horas: & quilibet bonæ vocis, conditionis, & famæ, possit accusare. & credatur medio iuramento, & habeat tertiam partem bamni pecuniarij.

De non faciendo iter per aliena prædia. c. 194.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona cuiusuis qualitatis existat, non audeat iter facere per aliena prędia vltra voluntatem domini, sub pœna florenorum duorum pro quolibet, & vice qualibet; & cum curru aut equo sub pœna florenorum quatuor: & totidem domino pro damno passo, nisi haberet ius transeundi. & si quis domino prȩsente & contradicente iter faciat incurrat pœnam duplicatam.

De bestijs non ducendis per fœneratores in Prata, cap. 195.

ITEM statutum est, quòd aliquis fœnator non possit secum ducere seu duci facere aliquam bestiam in prata in quæ ibit ad secandum fœna; & pariter operarij non poterunt à nemoribus alienis exportare bropas; nec poterunt à vineis, & altenis in quibus accesserint ad operandum exportare bropas & bro piglionos aridos, & virides, non obstante quacunque licentia per dominos concedenda, sub pœna vnius floreni pro quolibet, & vice qualibet.

De bestijs damnum dantibus, cap. 196

ITEM statutum est, quòd prætextu damnorum, quæ in alienis prædijs inferẽtur per bestias grossas, lanutas, minutas, pilosas, gallinas, anseres, equos, sues, & alia quæcunque animalia, stetur ordinamentis singulis annis fiendis per consilium Saluciarum, ita vt damnum emendetur iuxta eorum formam & tenorem: exceptis bestijs azilantibus, & pupantibus, pro quibus soluatur tantum damnum domino: eo saluo, quòd si quis tenuerit dictas bestias deliberatè, & appensatè in alienis seminatis, & pratis, ac vineis vltra, pœnam præfigendam à communitate, ponatur ad berlinam per tres horas. & licebit dominis prædiorum gallinas, & anseres damnum dantes in eorom seminatis occidere sine aliqua emenda, illas restituendo domino si sciat. & obseruentur ordinamenta communitatis, etiam quo ad bestias extraneas damnum dantes.

De pignore auferẽdo extraneo dãnũ dãti. c. 197.

ITEM statutum est, quòd si quis extraneus repertus fuerit per camparium vel aliquem de Salucijs faciendo damnum per se, vel cum bestijs in possessione alicuius de Salucijs, quòd talis persona de Salucijs possit pignus auferre dicto extraneo offendenti vsque ad quantitatem damni dati sibi vel alteri de Salucijs: quod pignus tenebitur præsentare domino Potestati infra secundam diem, & accusam facere de dicto extraneo. Quod si non fecerit, soluat bamnum floreni vnius, & restituat rem captam. Et si persona non haberet pignus, quòd impune possit personaliter duci coram Potestate soluendo bamnum ad formam ordinamentorum communitatis: Ita tamen ut extraneus accusatus soluat semper duplex bamnum eius, quod soluunt homines de Salucijs.

De porcis, cap. 198.

ITEM statutum est, quòd nulla persona audeat conducere sues ad depascendũ per ciuitatem, nec permittere eos vagari, sub pœna grossorum sex pro quolibet sue, & qualibet vice.

De fidancia, cap. 199.

ITEM statutum est, quòd si aliquis extraneus voluerit ducere ad pascendum aliquas bestias in Salucijs, quòd teneatur persoluere prius fidanciam consuetam

tam communi Saluciarum, seu collectori ipsius fidanciæ ad hoc deputato, put inferius continetur. Et primo pro qualibet bestia grossa grossos quatuor, pro qualibet bestia lanuta, & minuta grossos duos: & teneatur soluere infra triduum postquam venerit cum bestijs in Salucias. Et si quis fraudem fecerit huic statuto, siue sit de Salucijs vel ibi habitans, incurrat pœnam tripli dictæ fidanciæ. & quilibet bonæ vocis, & famæ possit accusare, saluo semper in præmissis beneplacito & deliberatione consilij.

De portantibus falces, cap. 200.

ITEM statutum est, quòd personæ portantes falces, seu scecios per ciuitatem Saluciarum euntes secatum uel inde uenientes, teneantur portare punctam desuper, seu falcem uel scecios, fultam, siue garnitam super taglio, ita quòd nocere non possit. et qui cõtra fecerit, soluat bamnum omni vice floreni vnius.

De decimatoribus, cap. 201.

ITEM statutum est, quòd illi qui fuerint ordinati, & deputati ad colligendum decimas super finibus Saluciarum, non possint, nec debeant capere decimam super finibus Saluciarum in aliquibus possessionibus sine licentia domini, vel nisi dominus sit præsens, sub pœna florenorum octo pro quolibet, & vice qualibet de die. & de nocte in duplum, & restitutionis gerbarum ablatarum. poterunt tamen ipsi decimatores accipere decimam in prædijs, per dominos aut colonos ad partem & separatè relictam.

De ayratoribus, cap. 202.

ITEM statutum est, quòd nullus ayrator posset nec debeat portare de campis durante tempore messium aliquem sascem messis vel aliquam iauellã, de aliquo blado, quod deberet colligere. Et si contrafecerit, soluat bamnũ pro quolibet et uice qualibet floren. duorum, & satisfaciat domino damnum datum.

De transeuntibus per aliena prædia, cap. 203.

ITEM statutum est, quòd transeuntes per aliena prædia cum bestijs & sine puniantur ad formam ordinamentorum super præmissis fiendorum per cõmunitatem: eo saluo, quòd vbi per viam commodè non possit iri, liceat impune per prædium vicinum ad minus damnum transire.

De messonerijs, cap. 204.

ITEM statutum est, quòd nullus messonerius, & messoneria audeant exire ab eorum habitationibus ad fines eundi messonandum in aliena possessione ante solis ortum: & q teneantur ad eorũ habitationem se retraxisse ante sonitum Aue Mariæ, sub pœna florenorum duorum pro quolibet, & vice qualibet.

De messonerijs non tenendis in iauellis, c. 205.

ITEM statutum est, quòd nulla persona audeat ingredi alienas possessiones donec iauellę messium sint ligatæ, & in fasciculos reductæ, causa colligendi spicas, sub pœna florenorum quatuor pro quolibet, & qualibet vice. Et

idem intelligatur de messonerijs, quòd non possint habere aliquos colligentes spicas, donec messes fuerint ligatæ, & in unũ reductæ, sub dicta pęna. nec possit dominus possessionis dare licentiã: & data nõ valeat: et cãparij teneãtur accusare cõtrafacientes.

De bubulcis, cap. 206.

ITEM statutum est, quòd nullus bubulcus audeat portare super curru aliquem fascem messis alicuius messoneriæ, nec camparij, nec alterius personæ, nisi domini ipsius messis & hoc tempore meßium: sub pœna pro quolibet, & vice qualibet florenorum duorum.

Quanta intelligatur esse emenda, c. 207.

ITEM statutum est, quòd vbicunq; scripta fuerint in aliquo statuto huius voluminis hęc verba, videlicet, & totidem pro emenda damnum passo, intelligatur vbique, & plus, si damnum esset plus, ad æstimationem æstimatorum communis.

De defensionibus, cap. 208.

ITEM statutum est, quòd clauarius maleficiorum, & exactor accusarum, teneantur infra sex dies postquam fuerint factæ accusæ transmittere duplum accusarum siue stringas accusatis, sub pœna nullitatis accusarum. & accusati tenebuntur dare eorum defensiones: infra octo dies subsequentes aliàs accusæ mandabuntur executioni.

De accusis exigendis, cap. 209.

ITEM statutum est, quòd clauarius maleficiorum curiæ Saluciarum teneatur exegisse omnia bamna descripta in libris & registris finita & expedita, & non suspensa per appellationem, vel aliam causam iustam, infra vnum annum à die intimatæ accusæ, aut aliàs latæ sententiæ & si ea non exegerit infra dictum terminum, sint ex post nulla, & amplius exigi non possint per ipsum clauarium vel alium, seu alios: sed teneatur clauarius de suo pro illis satisfacere fisco, secundum tamen franchisiam super hoc concessam.

De auctoritate consilij circa cãpestria, c. 210.

ITEM statutum est, quòd consilium Saluciarum, in omnibus & singulis casibus præmißis concernentibus damna campestria, siue à personis, siue à bestijs data, possit pœnas minuere, augere, & etiam corporales imponere, si expediens fuerit, & camparios secretos deputare, & aliter prouidere, prout illi bonum visum fuerit, ad conseruationem finium Saluciarum, & fructuum.

OCTA-

OCTAVA ET VLTIMA COLLATIO
DE DIVERSIS REBVS ET MATERIIS.

De priuilegio scholasticorum, cap. 211.

ITEM statutum est, quòd omnes scholares venientes ad studium Saluciarum, & qui ibi venissent, vndecunq; sint, esse debeant, & sint in personis & rebus plenissimè securi per octo dies ante studij inceptionem, & per octo dies post, & toto tempore scholarum, cambijs quibuscunque, & guerris, atq; repræsalijs non obstantibus. Et quòd sustineantur ilęsi per dominum Potestatem, & consilium Saluciarum.

De festiuitatibus obseruandis, cap. 212.

ITEM statutum est, quòd quælibet persona de Salucijs uel ibi habitans teneatur, & debeat celebrare, & obseruare festiuitates infrascriptas, videlicet omnes dies Dominicos, quatuor dies Natiuitatis dies Circuncisionis, Epiphaniæ, dies tres Paschæ, tres dies Pentecostes, Ascensionis, Corporis Christi, quatuor festiuitates Beatissimæ Virginis, scilicet Annũtiationis, Assumptionis, Natiuitatis, & Purificationis, omnes dies Apostolorum, Sancti Io. Baptistæ, Sancti Laurentij, festum omnium Sanctorum: & hoc sub pœna pro qualibet persona, & qualibet vice grossorum duodecim pro persona; cum equo grossorum viginti quatuor; pro persona, curru, & bobus grossorum triginta sex monetæ currentis, applicanda ipsa pœna pro dimidia fisco Regio, & pro alia dimidia accusatori. & quilibet bonæ vocis, & famæ possit accusare. & patres tenebuntur pro filijs secum habitantibus, & domini pro famulis quas pœnas non intelligantur incurrere, nec incurrisse, ducentes aquas ad prata irriganda, & conducentes grana ad molendinum, & illa molentes in dictis diebus festiuis post horam vesperorum: Item teneantur obseruare, omnes festiuitates, quæ sunt de præcepto ab Ecclesia, & quæ à clero, & populo obseruantur, exceptis tamen diebus mercatorũ, & nundinarum, in quibus possit fieri iusta solitũ.

De non ludendo, cap. 213.

ITEM statutum est, quòd nullus possit ludere, ad chartas, taxillos, & alios ludos azardi, sub pœna pro quolibet, & qualibet vice florenorũ quatuor. & nihilominus licebit ei qui amiserit in ludo ut supra prohibito, quicquid amiserit repetere. & quilibet bonæ vocis & famæ possit accusare, & qui mutuauerit pecuniam in dictis ludis, pecuniam amittat: nec pro ea habeat actionem repetendi, nisi potestas Saluciarum recreationis gratiam concedat licentiam ludendi.

De non mutuãdo filijsfamilias & famulis, c. 214.

ITEM statutum est, quòd si quis mutuauerit pecuniam, vel aliud super aliquod pignus famuli alicuius de Salucijs vel ibi habitantis, vel alicuius filijfamilias sine voluntate patris, seu domini, quòd Potestas teneatur cogere

re illum qui mutuasset super pignore ad restitutionem ipsius pignoris patri aut domino sine aliqua restitutione rei vel pecuniæ mutuatæ, nisi res vel pecuniæ essent versæ in vtilitatem patris vel domini. & idem obseruetur in venditionibus, vel donationibus, & alijs contractibus fiendis per filios familias, aut famulos de rebus patrum aut dominorum, nisi filius familias esset administrator domus & bonorũ patris: quo casu gesta per filium ualeant. & hoc statutum habeat locum contra Hebræos.

De locatoribus domorũ & eorũ iuribus, c. 215.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de Salucijs vel ibi habitans locaucrit alicui personæ aliquam domum, quòd liceat illi personæ, cuius fuerit ipsa domus, retinere auctoritate propria de bonis in eadem domo per conductorem inuentis & illatis vsque ad summam eius, quod eidem debebitur pro pensione domus: & ipsis retentis, teneatur Potestas incontinenti constito sibi de debito summariè, sine aliqua dilatione, & formalitate, facere de ipsis bonis expediri, & deliberari per substhastationes publicas dicto creditori, vsque ad integram solutionẽ, non obstante quacunque anteriori hypotheca. Et possit dominus domus, pacto in contrarium non facto, exigere pensionem, videlicet medietatem in priucipio conductionis, & aliam medietatem in medio tempore termini conuenti. Si vero pactum accesserit, obseruetur.

De locatoribus domorum, cap. 216.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona de Salucijs vel ibi habitans locauerit seu gratis concesserit aliquam suam domum alicui personæ, cuiusuis conditionis existat, & ille aliquod damnum inferret in bonis uel rebus hominum Saluciarum, vel ibi habitantium, teneatur dominus ad solutionem bamni pro tali damno: & ipse habeat actionem contra talem delinquentem.

De non locãdis domibus extraneis nisi data notitia Secretario communis, cap. 217.

ITEM statutum est, quòd nullus habens domum in ciuitate aut finibus Saluciarum possit dictam domum alicui personæ extraneæ locare aut gratis, precario, uel alio quouis modo remittere ad habitandum, nisi prius id notificauerit secretario cõmunitatis Saluciarũ, qui tenebitur nomen et cognomen qualitatem & numerum personarum describere in libro particulariter super præmissis conficiendo, videlicet vnusquisque in quo burgo habitat.

De domo non ædificanda iuxta murum Communis, cap. 218.

ITEM statutum est, quòd nemo ædificet domum aliquam intra nec extra ciuitatem Saluciarum iuxta murum communis dicti loci. & qui ædificauerit domum, faciat eam auferri infra quindecim dies postquam ei fuerit denuntiatum; alioquin soluat bamnum florenorum octo, & nihilominus compellatur auferre.

auferre: ita quòd plaustra & equites possint ire circum circa. & si non esset communis, æstimetur & emendetur per commune, secundum æstimationem duorum bonorũ hominum, & quousq; pretium habuerit, non teneatur auferre.

De incendio extinguendo, cap. 219.

ITEM statutum est, quòd tempore alicuius incendij existentis (quod Deus auertat) in loco Saluciarum, omnes personæ cuiusuis qualitatis sint, etiã mulieres, & manuales, teneantur ire ad apportandum aquam ad locum vbi erit incendium ipsum, & dictum incendium extinguantur eorum posse; Et qui non obseruauerit, soluat bamnum florenorum duorum pro qualibet vice, & pro quolibet. Et si aliquæ situlę, vel aliqui ciberi perderentur in ipso incendio, quòd commune Saluciarum ipsis perdentibus emendare teneatur si iurauerint situlam, vel ciberũ in ipso vel pro ipso incendio perdidisse; & quòd omnes personę de Salucijs tam manuales, quã ceteri, teneantur cum audiuerint cridam ignis, uel uiderint ignem, ire ad ipsum ignem extinguendũ. & qui prædicta non obseruauerit, soluat bamnũ ut supra.

De auxilio dando ędificandi domos combustas, cap. 220.

ITEM statutum est, quòd si vna domus vel plures igne comburantur in Salucijs casu fortuito, & inopinato (quòd Deus auertat) quodlibet caput domus cuiuslibet de Salucijs teneatur ad reędificandũ ipsam domũ & ipsas domos dare vnum iornale, videlicet habentes boues, vnum iornale boum, habentes bestias de basto, vnum iornale cum bestijs de basto, non habentes autem boues, nec bestias de basto, vnum iornale eorum personæ; eo saluo, quòd si domus, quę debet ędificari non esset tantę importantię, & non egeret tam magnis expensis, seu tam magno auxilio, quòd tunc esset in deliberatione consilij circa dationem auxilij, et prout consilio visum fuerit, fiat & obseruetur.

De bonis immobilibus alienandis offerendis proximioribus, & vicinis, cap. 221.

ITEM statutum est, quòd si aliqua persona habens in Salucijs vel posse & territorio Saluciarum aliquam domum, seu plures domos, vel aliquam possessionem, seu plures possessiones, quoquomodo denominentur, velit talem vel tales domum, vel domos, seu possessiones à se alienare ex titulo, & causa venditionis, vel in solutum dationis, quòd talis persona volens alienare vt supra, teneatur talem rem, domum, aut possessionem, quam alienare intendit, prius offerre eius proximioribus agnatis masculis in gradu succedendi; & ipsis recusantibus, proximioribus vicinis dictæ rei alienandę, & illi cohęrentibus pro eodem met pretio, quod aliunde posset de tali re habere. & teneatur quilibet prędictorum cui fuerit facta oblatio tali offerenti respondere si eam emere velit, vel non, in tertia die post sibi factam oblationem, & pretium tunc soluere integraliter in pecunia numerata; elapso

elapso uerò dicto termino, possit quilibet uẽdere, vel in solutũ dare cui uoluerit libere alienatio verò facta, non seruato modo prædicto, non valeat in preiudicium talium, cui erat offerenda, sed possint tales proximiores, vel vicini, vigore presentis statuti dictam rem venditam, vel in solutum traditam recuperare infra annum ab omni persona, quæ emisset, uel cui in solutum tradita fuisset. soluendo tamen pretium pro quo res fuisset vendita, vel soluta: Declarantes annum prædictum currere à die qua res vendita fuerit posita super registro emptoris: & sufficiat vnica denunciatio facta personaliter, & oretenus per venditorem, vel per publicum proclama factum in platea Saluciaram, sub porticu communi, die & hora fori. Declarantes pariter istud statutum habere locum contra pupillos, minores, absentes & quoscunq; priuilegiatos, absq; spe restitutionis.

De pactis, & mercatis obseruandis, cap. 222.

ITEM statutum est, quòd si aliquis contraxerit in Salucijs modo aliquo emẽdo, vendendo, locando, permutando, vel alio quouis modo ineundo contractum quemuis nominatum vel innominatum, & cuiusuis generis sit, & de quacunque summa, & super illo contractu fuerit data palmella, teneantur contrahentes contractum obseruare, prout conuentum fuerit, sub periculo omnium damnorum expensarum & interesse, & nihilominus cogãtur contractum obseruare, & instrumentum facere. & si super dicto contractu fuerint datæ arræ, quòdipsæ arræ perdantur, videlicet si steterit per eum qui arras dedit; & si steterit per eum, qui arras receperit, tunc cogatur arras restituere, & tantundem de suo, nisi malit alter contrahentium contractum obseruari, quàm arras consequi vel præstare.

Quòd filia dotata non succedat, ca. 223.

ITEM statutum est, quòd si est vel fuerit aliqua mulier de Salucijs, vel ibi habitans habens fratres vtrinque coniunctos, vel fratrum prædictorum filios masculos, quæ fuerit à patre suo, vel à matre sua, vel à fratre suo seu fratribus suis dotata, aut ab altero ipsorum, quòd ipsa talis mulier seu filia non possit aliquam partem in posterum petere ipsis fratribus vel filijs masculis dictorum fratrum in bonis paternis vel maternis, vel fraternis dotantium, vel non dotantium, sed contentetur de dote sibi data, constituta, vel assignata à patre, à matre, vel à fratre, aut ab vno ipsorum: Ita vt ab vno dotata excludatur ab hæreditate, & successione aliorum, dummodo à fratre seu fratribus fuerit competenter dotata secundum qualitatem sui gradus, & secundùm quòd suæ facultates patiuntur. & intelligatur competenter dotata à patre, vel à matre, secundum quòd per eos per vltimam voluntatem, aut per contractum inter viuos quouis modo, & quomodocunque, quocunque relicti titulo, etiam nulla facta mentione dotis, fuerit dos constituta, et quouis modo promissa, & assignata, à fratre uel fratribus autẽ intelligatur cõpetenter dotata, quando est sibi assignata dos, quæ ascendat ad legitimam, nisi facultates sint adeò exiguę, vt non possit decenter pro tali dote maritum sibi ęqualem inuenire: quo casu possit & debeat augeri dos arbitrio tritum ex propinquioribus de familia

milia patris, & ipsis deficientibus, ex linea materna. & in casu discordiæ detetur arbitrio Potestatis. Quòd si testamento, vel aliter per patrem, aut matrem prædefunctos filiæ seu filiabus nulla fuerit dos assignata, liceat eo casu fratribus illam dotare modo præmisso, qua dote mediante, excludatur ab hereditate patris, & matris, & fratrũ perinde, ac si ab ipso patre dos fuisset constituta. Et filia vt supra dottata respective non possit in aliquo prædictorum casuum petere aliquod supplementum legitime, sed cõtentetur dote sibi assignata. Filia uero à patre dotata habens fratres consanguineos tantum, seu ex parte patris solummodo, non sit astricta huic statuto, quo ad bona materna, sed remaneat ius saluum in hereditate eius matris; sit tamen exclusa ab hereditate patris & fratrũ ut supra, nisi solemnẽ fecisset quitationẽ de bonis maternis. Filiæ verò maritatę non habenti aliquos fratres, non preiudicet hoc statutum, sed remaneat in dispositione iuris communis.

De non perdenda dote per mulierem, ca. 224.

ITEM statutum est, quòd aliqua mulier de Salucijs vel ibi habitans, non possit pro aliquo maleficio siue delicto commisso per eius maritum, eius dotem & donationẽ propter nuptias perdere, qualecunq; sit delictũ, sed habeat ius suũ saluũ pro eius dote & donatione propter nuptias in bonis mariti, nisi & ipsa pro tali delicto esset culpabilis. & procedat istud statutũ siue dos sit realiter recepta, siue per maritum confessata ante perpetratum delictum; & habeat ius retentionis super bonis mariti, donec eidem fuerint dotes cum legitimis accessorijs realiter restitutæ, tam contra fiscum, quàm alium quemuis ius prætendentem in bonis mariti ex causa delicti.

De dote lucranda per maritum, cap. 225.

ITEM statutum est, quòd si aliqua mulier, vxor alicuius hominis seu viri de Salucijs vel ibi habitantis, decesserit sine prole descendente ex legitimo matrimonio ex ea & dicto eius marito, quòd eo casu prædictus eius maritus si dicta vxor est de Salucijs lucretur medietatem dotis, & omnium bonorum dotalium ipsius vxoris suę, & de ipsa medietate dotis ad aliquam restitutionem faciendam alicui personę cogi non possit, sed eidem suæ vxori de Salucijs succedat in dicta medietate dotis, & omnium bonorum dotalium vt supra dicitur, ex forma presentis statuti, exclusis omnibus alijs suis ligitimis hęredibus vel successoribus ab ipsa medietate. Si vero talis vxor sic sine prole decedens vt supra, esset extranea, videlicet quæ nata fuisset alibi, quàm in Salucijs, & quæ ducta fuisset ab alio loco, seu alia terra, quàm de Salucijs, tunc maritus ipsi vxori suæ prius morienti sine prole succedat ipso iure in duabus partibus suæ dotis: Hoc saluo in quolibet prædictorum casuum, quòd si vxor alicuius viri de Salucijs deceßerit relictis filijs vel filiabus vno uel pluribus ex alio viro, quem antea habuißet, quòd tunc maritus nõ succedat nisi in tertia parte dotis dictę vxori, decedentis, & de ipsa tertia parte nullo modo possit expoliari seu priuari; Posset tamen ipsa mulier si velit, eius marito,

vsque ad dimidiam suæ dotis, & aliorum bonorum suorum relinquere dicto secundo marito, & non vltra.

Quomodo mater filijs succedat, cap. 226.

ITEM statutum est, quòd si decesserint ab intestato aliqui filij vel filiæ de Salucijs, vel ibi habitantes, relictis vno vel pluribus fratribus vel sororibus vtrinque coniunctis, aut consanguineis tantum, aut filijs prædictorum fratrum vel sororum, necnon matre, quòd eo casu mater succedat cum dictis filijs superstitibus, per capita. Quòd si mater conuolauerit ad secundas nuptias, tunc non succedat filijs defunctis existentibus alijs vt supra, nisi in vsufructu legitimæ.

Quòd aliquis qui non habitet in Salucijs non possit habere aliqua nemora, cap. 227.

ITEM statutum est, quòd aliqua persona, quæ non habitet in Salucijs, et ibi non stet ad locum, focum, & catenam, non possit emere vel alio quouis modo acquirere aliquid de nemoribus Saluciarum, montis, nec planicie. & qui emerit, vel alio modo acquisierit, nisi sibi eueniret ex successione alicuius sui attinentis, non fiat eiusdem nemoris dominus, sed nemus venditum, pleno iure acquiratur & pertineat communi Saluciarum ipso iure. & qui vendiderit, vel alio quouis modo alienauerit nisi vt supra, soluat bamnum qualibet vice florenorum viginti quinque. & quilibet inde posse accusare, & credatur ei cum iuramento, & habeat tertiam partem bamni. & quilibet de Salucijs, possit in eis boscairare, lignamina, & fructus capere, incidere, & portare sine pœna & bamno.

De simili iure vtendo contra forenses, c. 228.

ITEM statutū est, quòd quælibet persona de Salucijs uel ibi habitans possit uti contra quamlibet personā extraneam in omni causa, quæstione, & lite, omnibus capitulis, consuetudinibus, statutis, & iuribus, quibus illa persona extranea vti posset in terra suæ iurisdictionis, vel sui domicilij contra ciuem Saluciarum.

De gabellatoribus, & collectoribus talearum cap. 229.

ITEM statutum est, quòd si aliquis gabellator, vel pedagiarius Salucienſis acciperet vel extorqueret ab aliqua persona debente soluere pedagium et gabellam in Salucijs, vel peteret ultra id quod sibi debetur, soluat bamnum quadrupli eius quod de pluri exegerit. & idem intelligatur, si peteret vel exigeret aliquid ab aliquo, qui in Salucijs non deberet soluere pedagium, nec gabellam, vel si peteret vel exigeret pro aliquibus mercibus, pro quibus non deberet solui gabella. & non obstante solutione bamni repellatur ab officio. & idem obseruetur de collectoribus talearum, qui plus exegerint pro talea, quàm deberet, vel exigerint à personis, quæ non deberent, & quæ non essent scriptæ in eorum quinterneto.

De fraudantibus gabellas, cap. 230.

ITEM statutum est, quòd qui fraudauerit gabellam Saluciarum quoquo modo & de quacunque re, pro qua debet solui gabella, incurrat ipso iure pœnā contentam in capitulis deliberationis gabellæ, factis, aut fiendis per consiliū communitatis Saluciarum.

De vino non portando in Salucias, cap. 231.

ITEM statutum est, quòd nulla persona de Salucijs vel aliunde vndecunque sit, possit nec debeat apportare, nec apportari facere seu duci facere, palàm, priuatim, vel occultè, nec aliter in Salucias seu totum posse Saluciarum sub aliquo vicio vel ingenio, aut colore, aliquod vinum natum extra marchionatum Saluciarum, nec aliquas vuas causſa faciendi vinum, excepto vino maluatico, de tagia, & similibus pretiosis, vt quinque terrarum, & saluis dominis prędiorum, in quibus tale vinum forense foret natum. & qui contrafecerit, soluat bamnum omni vice florenorum octo pro qualibet carrata, & pro qualibet somata florenorum duorum; Et in quolibet prædictorum casuum totidem pro emenda communi Saluciarum applicanda: & amittat bestias, vinum, & vasa; & quilibet bonæ famæ possit accusare cum iuramento, & credatur ei: & habeat tertiam partē bamni: Salua semper in prædictis prouisione consilij.

De non recedendo à taberna donec sit solutum tabernario, cap. 232.

ITEM statutum est, quòd aliquis debens tabernario, seu tabernariæ, hospiti, seu cauponæ pro vino per eum habito, seu propter comestionem, quam sumpserit, vel aliquid de suis nummatis, non recedat à taberna sine uoluntate tabernarij, vel ipso tabernario ignorante. & qui contrafecerit, soluat bamnum pro qualibet vice qua fuerit accusatus, florenorum quatuor.

De non stando in taberna, cap. 233.

ITEM statutum est, quòd si aliquis inuentus fuerit in aliqua taberna post sonum vltimi signi, soluat bamnum florenorum duorum: Et tabernarius vel tabernaria in cuius taberna inuentus fuerit, soluat totidem; nisi essent hospites, qui ibi logiarent, vbi licitum sit morari liberè, & comedere omni hora. Et si tabernarius venderet uel daret vinum alicui, qui non logiaret in hospitio illius tabernarij post dictum signum, quod biberet in dicta taberna, soluat bamnum omni vice florenorum duorum. Possit tamen vendere, & tradere dummodo portetur vinum extra eius tabernam.

De bubulcis & rozerijs, cap. 234.

ITEM statutum est, quòd aliquis bubulcus, rozerius, & asinarius, non possit ire per ciuitatem Saluciarum super curru, equo, & asino, sed teneatur ire ante boues, equum, & asinum; & qui contrafecerit, soluat bannum pro qualibet vice floreni vnius.

De seruitoribus, cap. 235.

ITEM statutum est, quòd si aliquis famulus, bubulcus, asinarius, vel pedisequa, vel alius seruitor, promiserit stare, vel se firmauerit cum aliquo vsque ad certum tempus, illud promissum seu firmatum teneatur attendere. & si dixerit se nolle stare, aut recusauerit, & recesserit, absq; legitima causa et sine licentia eius cui promisit, & cum quo conuenit, soluat bannum florenorum octo, & amittat totum salarium, & vltra teneatur restituere domino id quod iam pro salario habuisset, & nihilominus compellatur per Potestatem, requirente domino: stare & redire cum ipso domino vsque ad terminum conuentum habendo salarium pro missum; & si non habet vnde soluat bannum, bannatur. Et si alicuius seruitoris dominus eum expulerit abeo sine causa legitima, teneatur ei soluere salarium integraliter vt si stetisset vsque ad finem termini promissi. & quilibet bonæ famæ inde possit accusare, & credatur ei, & habeat tertiam partem banni. Et si aliquis de Saluciis, vel ibi habitans dictum talem seruitorem qui esset in aliquo dictorum casuum scienter affirmaret antequam esset ad terminum primi domini, soluat eandem pœnam, & cogatur eum relinquere, si inde fuerit requisitus.

De reuisionibus fiendis, cap. 236.

ITEM statutum est, quòd quilibet volens murare aut ædificare iuxta vias publicas, aut priuatas in quacunq; parte Ciuitatis Saluciarum, teneatur prius antequam foderit, & ibidem aliquid fecerit, requirere sindicos communis vel libertatis, vt accedant ad reuidendum locum fiendi muramenti vel ædificij: & si aliter fecerit, incurrat pœnam florenorum octo, & muratum vel ædificatum diruere teneatur, & auferre. si verò per sindicos fuerit designatum, tunc omnia exinde ædificata iuxta designationem ratta maneant: ita tamen, quòd sindici non possint dare licentiam vbi aliquid caperetur de communi, sine ordine consilij.

De cridis & proclamationibus, cap. 237.

ITEM statutum est, quòd decani teneantur facere cridas & proclamationes illis impositas in locis solitis, & consuetis, videlicet in platea Saluciarum ante porticum domus communis, in fundo plateę Saluciarum, ad placetam siue portam mundagliorum, ad portam ficuum, ad gaifferiam: & si sit occasione bannorum, vel absentia alicuius præuenti, fiat etiam ante eius domum, vel habitationem suorum successorum. & teneantur decani facere eorum relationes, & illas referre, si fiant ad instantiam cõmunitatis, in causis ciuilibus graphario ciuiliũ, necnon in omnibus causis ciuilibus; in causis verò criminalibus notario criminalium

eadem

eadem die qua fuerit factum proclama, vel die subsequenti. Quòd si decani non obseruauerit præmissa, puniantur in florenis duobus pro qualibet vice.

De solutione fienda famulis pro exequutione personali, cap. 238.

ITEM statutum est, quòd famuli curiæ Saluciarum pro qualibet citatione facta in ciuitate, & suburbijs habeant pro eorum salario quartos septẽ, super finibus autem vsq; ad milliarium grossos septem, & vsq; ad duo milliaria grossos nouem, & ab inde vltra florenum vnum. & in alijs exequutionibus realibus capiant pro mercede secundum taxam fiendam per Potestatem.

De clausuris inter consortes fiendis, c. 239.

ITEM statutũ est, quòd quilibet habens terras, seu aia alia, hortos, domos, aut vineas iuxta prædium alterius vbi clausuræ fieri solent per consortes, compellatur talis per Potestatem ad requisitionem vicini clausuras necessarias pro medietate facere, nisi altera dictarum partium iustam caussam ostenderet, quòd consors ad id insolidum teneatur, & qui claudere recusauerit, seu partẽ suam clausam tenere neglexerit, incurrat pœnam floreni vnius pro quolibet, & vice qualibet, & reficiat damnum vicino tali culpa, & occasione datum. & nihilominus teneatur ad clausuram faciendam pro parte sua: aliàs fiat suis sumptibus.

Quòd aliquis non possit facere æstimari copertum alicuius domus, cap. 240.

ITEM statutum est, quòd aliquis creditor non possit sibi æstimari facere copertum vel ædificium alicuius domus nisi cum suo solo.

De foueis, & gallarinis, cap. 241.

ITEM statutum est, quòd qui faceret aliquas foueas seu tampas pro lupis, capreolis, & alijs animalibus silue stribus capiendis in quacunq; parte finium Saluciarum, & etiam galarinos, qui ponuntur pro custodia possessionum, teneatur illam vel illas preconizari facere in platea, & alijs locis solitis, ubi similia fieri solent in loco Saluciarũ, & hoc priusquam foueas faciant, & galarinos ponant, sub pœna florenorum vigintiquatuor, & ad emendam damnũ passo.

De piscibus, cap. 242.

ITEM statutum est, quòd nemo debeat vendere pisces aquæ dulcis, vel cancros, & ranas alibi, quàm in platea Saluciarum, & eos præsentauerit super puteo Saluciarũ, & quòd nullus possit vendere cancros ad pondus, sed ad numerũ; & ranas nõ possit uendere nisi ablato busto, & qui contrafecerit, incurrat pœnam pro qualibet vice florenorum duorum, & amissionis prædictarum rerum. & qui fuerit conuictus vel confessus vendidisse pisces dulces, uel salsos, corruptos, ponatur ad berlinam per tres horas, & pisces comburantur in platea. & quòd nullus hospes possit emere pisces vltra eius prouisionem, sub pœna præmissa.

Quòd

Quòd volentes facere pratum posſint habere licentiam per alienã posſeſsionẽ, c. 243.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſi fuerit aliqua perſona de Salucijs vel ibi habitans, quæ vellet facere pratum de aliqua ſua terra, vel quæ haberet pratũ nõ habens bealeriam ex qua posſit adaquare, & non posſit aquam habere niſi per alienam poſſeſsionem, quòd eo caſu ad inſtantiam talis perſonę compellantur domini poſſeſsionum ad vendendum de eorum poſſeſsione tantum, quod ſufficiat ad faciendum vnam bealeriam, per locum minus damnoſum, dum tamen nõ excedat latitudinẽ pedũ ſex, inter ripas & alueum bealeriæ. & talis perſona emens teneatur ſoluere pretium in duplum eiu, quod æſtimabitur id quod occupabitur occaſione dictæ bealeriæ per æſtimatores iuratos communis. Locus autem per quem fiet dicta bealeria iudicetur, ſi requiſitum fuerit, per ſindicos communis Saluciarum: remanente tamen ſemper proprietate dominis fundorum; & vſu, ac iure adaquandi, & eundi ac redeundi per dictam bealeriam, ac ripagiũ, pertinente ipſi emptori dumtaxat: & eadem bealeria vti posſit ad eius liberam uoluntatem, facta æſtimatione, & ſoluto pretio vt ſupra. Quòd ſi damnum eſſet plus quàm vtilitas iudicio proborum virorum electorum ſuper diſcordijs, quòd non posſit eo caſu compelli ad vendendum bealeriam. & idem intelligatur de quolibet prato facto de quo fieret querimonia, quòd faceret damnum alijs poſseſsionibus: quòd teneatur talis perſona facere ſcolatorium latitudinis vnius pedis cum dimidio, diſtans à prædio vicini per vnum pedẽ cum dimidio, ita vt aqua non noceat vicino. & ſi ſuper præmiſſis oriatur quæſtio quòd debeat ſtari iudicio reuiſorum communitatis; & quod per ipſos ordinatum fuerit, valeat, & obſeruetur, ac obſeruari iubeatur per dominum Poteſtatem.

De piſcinis, cap. 244.

ITEM ſtatutum eſt, quòd nulla perſona cuiuſuis conditionis exiſtens audeat nec præſumat piſcari, aut piſces capere in piſcherijs hominum Saluciarum factis ſeu fiendis in quacunq; parte finium Saluciarum, nec ipſas piſcherias frangere, nec ripagia ipſarum deuaſtare in ipſis piſcando, ſub pœna pro quolibet, & qualibet vice de die florenorum octo, & totidem pro emenda domino piſcheriæ, & de nocte duplum. & quilibet bonæ famæ inde posſit accusare & credatur cum iuramento, & habeat tertiam partem bamni.

De non adaquando beſtias in fontibus, & non mingendo in eis, cap. 245.

ITEM ſtatutũ eſt, quòd quæ fuerit illa perſona quæ adaquauerit ſeu adbibẽdũ duxerit aliquas bæſtias in aliquibus fontibus Saluciarum, aut ibi lauerit aliquos pannos, ſoluat bamnum omni vice florenorum duorum. & qui intrauerit fontem, ſoluat totidem. & qui minxerit, vel ventrem exoneraverit in aliquibus fontibus, ſeu puteis, ſoluat bamnum florenorum vigintiquinque, & teneatur eſcurare fontem, ſeu puteum ſuis ſumptibus, & expenſis. & ſi aliquid turpe vel putridum, quod inducat fætorem, miſerit, vel proiecerit in ipſis fontibus, aut puteis, aut aliquo eorum, ſoluat pariter florenos vigintiquinque. & quilibet posſit accusare; & ei credatur cum iuramento, & habeat tertiam partẽ bamni.

De ſcolando aquam, cap. 246.

ITEM ſtatutum eſt, quòd quæcunq; poſſeſsiones ſituatę ſuper finibus Saluciarum, ſi aquæ pluuiæ, & diluuij in eas venientes commode ſcolare poſſunt ſuper ipſis poſseſsionibus vel ſuper communi: ſi autem non poſſent, debeat quælibet poſseſsio ſcolare inferius in poſſeſsionem magis propinquam, & magis deſcendentem per miram ſuæ poſseſsionis. & licitum ſit frangere ripam ſeu cauezagnam, facta viſitatione, & obtenta licentia iudiciali, ad dandum diſcurſum dictæ aquæ deſcendenti per miram alterius poſseſsionis inferioris. & ſi non posſit ipſa aqua deſcendere & diſcurrere per poſseſsionem inferiorem ſitam per miram alterius poſſeſsionis, quòd labatur, & diſcurrat per aliam poſſeſsionem magis propinquam, prout melius & commodius ac cum minori damno fieri poterit. Et ſi de prædictis vel occaſione prædictorum aliqua oriatur quæſtio, quòd ſtetur arbitrio proborum virorum per partes eligendorum.

De granovendendo, cap. 247.

ITEM ſtatutũ eſt, quòd quęcũq; perſona extranea, quæ portabit duxerit, uel duci fecerit in ciuitatẽ Saluciarũ die ſabati aliquod granũ quoquo modo vel nomine appelletur ad vendendum, quòd illud teneatur vendere, & menſurare, aut menſurari facere in platea Saluciarum, in loco vbi vendiderit, uel ibi prope ad iuſtam menſuram Saluciarum. & qui aliter fecerit, ſoluat bamnum vnius floreni venditor pro quolibet ſextario, & emptor totidem.

De ementibus panem, cap. 248.

ITEM ſtatutum eſt, quòd ſiquis voluerit emere panem in platea Saluciarum, vel alibi, teneatur emere panem quem maniauerit ſeu tetigerit, & non alium. & qui contrafecerit, ſoluat bamnum omni vice groſſorum ſex. & panatarij & panatarię teneantur hæc denuntiare Poteſtati, ſi aliquis poſtquam ſibi declarauerit pœnam contrauenerit. Et quòd nulli panatarij & panatariæ vocare debeant volentes emere panem, vt emeant de ſuo, ſub pœna pro qualibet vice floreni vnius.

De vindemijs, cap. 249.

ITEM ſtatutum eſt, quòd omnis perſona poſsidens in finibus Saluciarum vineas, vel altena, posſit poſt medium menſis Sptembris cuiuslibet anni vuas colligere, & vindemiare, ſeu vindemiari facere vuas exiſtentes in dictis vineis, & altenis; ante verò non, niſi haberet licentiam à conſilio Saluciarum. & qui vindemiauerit ante dictum tempus, ſoluat omni vice pro qualibet ſomata florenos quatuor, & pro qualibet carrata florenos ſexdecim, & nihilominus non audeat accedere

re ad eius vineam, vel altenum vindemiatum, donec alij vicini uindemiauerint, sub dicta pœna, nisi iret causa recolligendi fructus restantes, aut laborandi terram aratoriam. & quilibet, qui uindemiauerit ante dictum tempus, teneatur uineam & altenum clausos tenere, videlicet sapellos, donec vicini vindemiauerint, sub pœna florenorum decem; & si ille damnum dederit, soluat duplex bamnum, salua semper in præmissis deliberatione consilij.

De arboribus nocentibus vicino, cap. 250.

ITEM statutũ est, quòd si aliquis habuerit arbores confines alicui de Salucijs tam intra ciuitatem quàm extra nocentes alicui de Salucijs ex vicinis, teneatur illas arbores auferre, & scindere, vel eradicare, facta prius æstimatione arboris per æstimatores communis Saluciarum, & facta etiam æstimationis relatæ solutione per illum, qui eas auferri petierit. Et qui tales arbores auferre noluerit post præceptum sibi factum, soluat bamnum omni vice qua præceptum non obseruauerit florenorum quatuor, & nihilominus teneatur eas auferre, eradicare, seu scindere, & sic Potestas obseruari faciat, & faciat etiam incidere ramos pendentes super possessione vicini, si inde fuerit requisitus, & licitum sit vicinis sine bamno capere fructus pendentes super sua possessione ex arbore vicini, & etiam ramos pendentes incidere, & fructus colligere.

De non eundo de nocte, cap. 251.

ITEM statutum est, quòd nemo vadat post signum, & vltimum sonum campanę per ciuitatem Saluciarum sine licentia. & qui post vltimum signum fuerit inuentus sine lumine, & licentia soluat bamnum omni vice florenorum quatuor, nisi iuerit præcepto Sereniſsimi D. D. Regis Marchionis Saluciarum, aut Illustriſsimi Domini eius Gubernatoris, vel Potestatis Saluciarum. & si fuerit inuentus cum armis, soluat duplex bamnum: exceptis custodibus & decanis, & exceptis medicis, & ijs qui vadunt ad matutinas, & ad tenebras, vel alia diuina officia. Et si extraneus inuentus fuerit post dictum signum vltimum, soluat duplex bamnum. Item excipiuntur euntes ad cridaforas causa ignis extinguẽdi: Item bubulci cum bobus, asinarij cum bestijs de basto, fornarij, & portantes panem: Item euntes ad comandandum, ad pastandum, vel faciendum panem, mulieres portantes situlas, mercatores bonæ famæ, Sacristæ Eccleſiæ exercendo eorum officium, & euntes vel venientes ab extra ciuitatem, quibus de hoc credatur cum iuramento. Excipiuntur etiam bubulci seruitores, & manuales recedentes à domo magistrorum suorum, seu dominorum euntes dormitum.

De expellendis extraneis inutilibus, cap. 252.

ITEM statutum est, quòd consilium Saluciarum teneatur singulo anno deputare & eligere sex probos viros de consilio scilicet de quolibet burgo duos; qui habeant accedere ad habitationes & domos extraneorum, & ibi facta visitatione describere omnes personas extraneas nou possidentes aliqua prædia in agro Saluciarum, nec facientes aliquam artem, aut manualiam, sed inutiles & otiosè uiuentes: & tales personas descriptas referre domino Potestati, qui incontinenti tenebitur pœnalem iniunctionem laxare contra tales personas, vt infra octo post factam iniunctionem recedere à Ciuitate, & finibus Saluciarum debeant, nec redire ad dictam Ciuitatem sub eadem pœna; quòd si non paruerint, procedat ad declarationem pœnarum & fortiorem prouisionem suo arbitrio.

De massarijs murorum, cap. 253.

ITEM statutum est, quòd quilibet Potestas Saluciarum teneatur facere eligere tres massarios infra vnum mensem post introitum sui regiminis, qui inquirant muros communis, & postea referant in consilio Saluciarum prout repererint. & secundum quòd per consilium ordinatum fuerit super reparatione murorũ, Potestas teneatur facere effectualiter ad effectum perduci & tradi.

De renunciationibus feudorum, cap. 254.

ITEM statutum est, ad hoc quòd honor & vtilitas Sereniſsimi. D. D. nostri Regis Marchionis Saluciarum in perpetuum augeatur & integraliter obseruetur, ita quòd concedente qui omnia potest, prælibatus dominus Marchio sine aliquo consorte vniuersalis Dominus Saluciarum perpetuis temporibus habeatur, & quòd renuntiationes feudatariorum feudorum antiquorum & fictuum valeant, atq; teneant perpetuo, et quòd sententia recolendę memoriæ Illustris. Marchionis Saluciarum obseruetur, Quòd aliqua persona de Salucijs seu ibi habitans, aut aliunde, vndecunq; sit, non præsumat in perpetuum petere aliquem fictum seu seruitium eorum, quæ consueuit tenere in feudum, & etiam quòd non possit peti aliqua successio, nec aliquid aliud, occasione alicuius feudi siue consortitus feudi olim habiti in Salucijs, à quocunq; teneretur, & quocunq; iure teneretur: Ita quòd in successionibus mortuæ personæ primo vocentur descẽdentes ex linea inferiori: & ipsis deficiẽtibus uocentur ascendẽtes, si soli sunt in primo gradu siue fratribus mortuæ personæ: deinde uocẽtur collaterales de gradu in gradũ, sicut vocãtur a iure communi Romanorum. Et qui petierit de cetero, vel dixerit se habere ius in successionibus aliquorum, siue alicuius, uel petierit aliquid occasione fictus, siue consortitus, quem olim habuisset ratione feudi, ius quod haberet vel habuisset amittat, & nihilominus cadat in indignationem Sereniß. D. D. Regis Marchionis, & in pœnam sententiæ latæ super libertate Saluciarum à quondam Domino Marchione: & nihilominus incurrat pœnam l. si quis in tantam. C. vnde vi; & vltra soluat bamnum quilibet, & qualibet vice scutorum quinquaginta solis. & qui dederit auxilium in rogationibus uel instrumentis faciendis, uel aliter consiliũ, seu iuuamen, sit infamis, & extra protectionem communis & hominum Saluciarum, & incidat in pœnam capitulorum infrascriptorum: & quilibet bonæ famæ possit accusare facientes contra præmissa, uel aliquod præmissorum, & credatur ei cum iuramento, & habeat tertiam partem bamni. & etiam Potestas qui pro temporibus fuerit, teneatur inquirere ex officio suo, & punire nunciantes aliquam successionem eis fuisse apertam, vel ad eos pertinere ex

causa consortitus, vel fictus non soluti, vel rei venditæ seu alienatæ sine solutione tertij, & aconciamenti, & personas contra prædicta omnia & singula facientes punire pœnis suprascriptis in hoc presenti statuto, & etiam in alijs suprascriptis statutis declaratis.

De sententia lata inter procuratores feudatariorum & sindicos cõis Saluciarum, c. 255.

ITEM statutum est, quòd sententia lata per Illustriß. D. Marchionem Saluciarum inter D. Henricum de Rubea, Corradinum Vaccam, & Ruberzonum Guignam Procuratores feudatariorum & hominum feudi in Salucijs olim ex una parte, & Iacobum de Montemalo, & Guigliermum Viuianum sindicos communis & vniuersitatis Saluciarum ex altera, obseruetur perpetuo intacta, & illesa, Ita quòd aliqua persona cui reddebatur vel reddi consueuit aliquis fictus in Salucijs, vel posse, pro aliqua possessione quæ tenebatur, vel teneri consueuit ab ea, vel cui consueuit dari fictus, vel aliquis census, quocunq; nomine, teneatur illum censum, fictum, & omnem iurisdictionem, quæ in ipsa possessione emphiteutica, vel vsuaria habet, vel habere consueuit, seu aliquo iure petere posset, illi cuius est ipsa possessio, & qui habet vtile dominium, vendere, liberare ab omni seruitute, expedire seu franchire de fictu, siue censu, & de omni consortitu, quem olim habuisset, & pacem finem, & absolutionem, & pactum liberatorium, & absolutorium, et de vlterius non petendo facere secundum quòd dictum & pronunciatum fuit per præd: ctum D. Marchionem, in integrum obseruare. & etiã possessiones sitę in posse Saluciarum sint ex nunc liberę, & penitus absolutæ, & ab eo tempore citra, quo dicta sententia lata fuit, pro liberis habeantur. & istud statutum in sententia prædicta extendatur ad omnes personas habentes, & quæ habere consueuerunt in Salucijs posse, fictus, tertia, aconciamenta, successiones, vsuales eschęitæ, & alios vsus, qui vocantur vsus padisij, seu aliquod prædictorum, Ita quòd directum dominium, & vtile dominium transferatur, & quęcunq; persona prędicta non obseruauerit seu obseruare noluerit, seu recusauerit, soluat bamnum omni vice florenorum sexaginta, totiens, quotiens fuerit repertus, vel inuentus, seu accusatus, vel conuictus prædicta non feciſſe, vel obseruare noluisse, & nihilominus pœna soluta, vel non, dictam sententiam, & omnia prædicta teneantur obseruare. & etiam si quis prædictis vel alicui prædictorum rebellis extiterit, vel prædicta facere recusauerit, seu facere noluerit, cadat in pœnam seu pœnas contentas in statuto præcedenti, quod incipit ITEM statutum est ad hoc quòd honor. Et si aliqua persona, pro aliqua possessione quæ dicatur à se teneri vel consortitu fæudatariorum olim habiti in Salucijs, uel aliter ex iure consuetudinario quondam non possit perpetuo pro ea petere, uel habere aliquem, fictum tertium, acconciamentum, successionem, & eschæitam, seu aliud ius ratione vsu padixij antiqui consueti feudi: Et si petierit, non audiatur, nec aliquod ius exinde credatur, imò soluat persona petens prædicta, vel aliquod prędictorum omni uice qua inuentus fuerit accusatus, uel conuictus, petendo, nominando, uel exigendo

gendo in iudicio, uel extra, florenos sexaginta pro qualibet uice: & ille qui daret, uel solueret, soluat totidem. & quilibet possit accusare, & credatur ei, & habeat tertiã partem bamni; & si soluere non poterit, puniatur in persona, ut si furtum feciſſet.

De statutis declarandis, cap. 256.

ITEM statutum est, quòd si in futurum aliqua oriatur obscuritas, seu dubium super aliquo ex statutis Saluciarum, quòd possit declarari, emendari, addi, corrigi, & interpretari, per capitulatores à communi Saluciarum eligendos, quotienscunq; fuerit expediens.

De suspensione capitulorum, cap. 257.

ITEM statutum est, quòd factis completis, & confirmatis suprascriptis, & infrascriptis statutis, consilium Saluciarum possit cũ consensu domini Potestatis Saluciarum suspendere aliqua ex premissis statutis, quę ei videbitur pro bono & euidenti vtilitate republicæ Saluciarum: & Potestas ad requisitionem dicti consilij teneatur vinculo iuramenti consentire, statuta requisita, vel statutum requisitum suspendi permittere, saluis tamen statutis concernentibus interesse Domini, vel reipublicæ: quia melius est, si aliquis error sit, se ipsum corrigere, quàm per alium corrigi, & errorem permitti.

De statutis, cap. 258.

ITEM statutum est, quòd fiant duo libri statutorum Saluciarum, quorum vnus remaneat in archiuio communitatis Saluciarum, & alter in grapharіatu curiæ ordinariæ ciuilium Saluciarum.

ET Ego Bartholomęus Sardi ciuis Saluciarum publicus Regius Delphinalis notarius & Communitatis Saluciarum Secretarius, suprascripta statuta, visa, emendata, & reformata per Magnificos Dominos Michaelem Antonium Vacham, Io. Petrum Castiglionum, Felicem Leonum, Bernardinum Canalem, simonem falconum, Et Nobiles Christophorum Vacham, & Franciscum Marabotum, electos & specialiter deputatos per credentiam & consilium dictę ciuitatis, sub illorum dictamine fideliter recepi, & scripsi: in quorum fidem hic me manualiter subsignaui.

Sardi Secretarius.

FINIS.

Fr. Dionysius Inquisitor.

Absentes — — — — — 1
Appoce — — 9
Alienationes 15.16.63.
Atterminatj 18.34.
Aque 33.34.35.36.71.
Arangare 21.
Ambassiatores cōis 22.
Artesani 41.
Affeitatores 45.
Accusatores 50.55.
Adulteria 50.
Arbores 51.52.72.
Auena 53.
Alliena 54.
Accuse & accusati 56. ~~60~~.57.60.58.
Aijratores 59.

Barbacana — — — 31.
Bealerie 33.35.36.70.
Bedale 35.36.
Batenderia 44.
Banniti 50.51.
Blasfematores 51.
Bladum 53.
Bestie 58.70.
Bubulci 60.68.
Bona imōbilia ~~n~~ Alienanda 63 –

Contestatio litis — — — 6.
Capitula & capitulatores 2.21.
Clauarius caus. 3.4.5.6.8.19.56.
Contumacia 12.
Comdemnationes 8.12.
Curatj 13.14.15.
Computa 15.
Contractus 15.
Consilium & consiliares 7.16.19.22.60.
Cōmune 23.74.
Ciues recepti 27.
Cloace 30.31.
Crote 32.
Canapum 34.
Caligari 45.
Coria 46.
Candele 47.
Criminalia 49.
Campari 55.56.

Camp. stria.
collectores talearum 24.66.
Cride 68.
Clausure 69.
Copertum domus 69.
Commune 74.
creditores 12

Decreta — — — — — 6
Detenti nichil soluunt & detentio 2.11.12
Discordie 4.5.
Defunctorum bona 7
Dare res communis 20.
Damna 58.
Defensiones 60.
Dotes 65.
Decimatores 59.
Domus 62.63.69.
Debitores 12

Electores & electio officialium — 16.17.18.19.
exactores 24.66.
emende 60
emptiones 63.
extranei 12.26.72.

Fideiussores — — — — 8.10.
forenses 11.12.26.66.
ferie 13.
fossata 30.31.34.
fines 34.
fornarij 47.
fures & furtiua 53.
ferum 54.
falsum 54.
fidancia 58.
fenatores 58.
falces 59.
filia dotata 64.
festiuitates 61.
filifamilias 61.
famuli curre 69.
foueę 69.
fontes 70
feuda 73.74.
fossata 31.

Glaffarij siue clauarij — 3.4.5.19.

...tatores 66. 67.
gallarini siue tampe 69.

Homicidiarij - - - - - 50.
Herba 54.
Habitantes salut & alibi 26. 27. 66.

Incarceratio - - - - - - 11.
Inuentaria 14.
Incendiarij et Incendium 50. 51. 63.
Incisores bitium & arborum 51.
Iniurie 52.
Ire 72.
Inutiles 72.

...ocumtenentes - - - - 3.
Libertates 22.
Lateres 48.
Lenones 50.
Latrones 51.
Ludere 61.
Locatores 62.

...anoalia & Manuales 9. 49.
Mater Iterum nupta 14. 66.
Minores - - 13. 14. 15. 16.
Massarij biaz et murorum 28. 31. 73.
Merces operantium pro coi 23.
Mingere sub porticu cois 23. 70.
Mensure 38. 39. 40.
Magistri artium 41.
Molinarij 41. 42. 43.
Molandina 42. 43.
Mine 52.
Menia 52.
Mulieres 54. 65.
Meretrices 54.
Messonerij 59.
Mutuare 61.
Mercata 64.
Mariti 65.

...ine - - - - 13.
...mora 66.
...x 72.

...les et officia - - 17. 20.

...operantes pro coi 23.

Potestas salut - - - 1. 2. 3. 4.
pena si a statuto limitata spor. non 2.
principalis debitor 8.
pupilli 9. 13. 14. 15.
pignora 9. 10. 11. 58.
procuratores 15.
proposita 21. 22.
petentes a consilio 22.
prestum 23.
possessiones locate 25.
porticus 23. 32.
porte ciuitatis 32.
pontes 33.
planche 34.
pondera 37. 38. 43.
punitiones 50.
proditores 50.
percussiones 52.
palea 54.
predia 57. 59.
porci 58.
priuilegia 61.
pacta 64.
proclamationes 68.
pisces 69.
prata 70.
piscine 70.
panis 71.

Reditiones computorum - - 15.
Res communis 20.
Registra 24.
Rastellum 44.
Resecatores 44.
Rocerij 68.
Reuisiones 68.
Retractus 63.

Sportule - - - - - 2.
Sindicatus et sindici 4. 16. 17. 19. 74
Solutiones 12.
Sallaria sind. a term. extimat. 17. 18.
Sequestra 11.
Stantiatores 19.
Substitutio officialium 20.
Sartores 45.
Subtulares 46.

Sepum - - - - 48.
Statuta 12. 29. 50. 75. 19.
Stubra 50.
Scolastici 61.
Successiones 64.
Seruitores 68.

...mini dandi condemnatis 8.
tutores & curatores 13. 14. 15.
thesorarius communis 20.
tales 24. 25. 26. 66.
textores 46.
tella 46.
tegule 48.
taberna 67.

...itricus - - - 14.
vie 27. & 30. 31. 32. 33.
venditiones 14. 40. 41. 63.
vinum 41. 67.
vites 51.
vinee 56.
vindemie 71.
vicini 63. 70. 72.

24. 638.

H.183391.

~~24.689.~~